



DE  
PATRIA POTESTATE  
POTENTISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO  
GEORGIO II.

M. BRITANN. FRANC. ET HIE. REGE  
DEFENSORE FIDEI  
S. R. I. ELECTORE ARCHITHESAVRARIO  
DVCE BRVNSVIC. ET LVNEBVRG.  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

IN GEORGIA AVGVSTA  
INCLVTI ORDINIS IVRIDICI AVCTORITATE

P R A E S I D E

GEORGIO CHRISTIANO  
GEBÄVER D.

REGI A CONSIL. IVSTIT. INT. ET ANTEC. PRIM.  
PRO SVMMIS IN VTROVQVE IVRE HONORIBVS RITE  
CONSEQVENDIS DISPVTABIT

CHRISTOPH. GODOFREDVS SCHROEDER  
LV BECENSIS.

---

GOETTINGAE. A. D. III. APRIL. cdo Is ccc LI.

---

I E N A E  
LITTERIS MARGGRAFIANIS.









AMICE LECTOR,

*In Doctrina de PATRIA POTESTATE, licet videatur esse semita & plana & trita, superesse salebars, ad quas pes haereat, intelligunt illi, qui eandem diligentius terunt. Iis ex parte tollendis in his duobus capitibus operam dedimus: Leges Mosaicae, vel ob summam Legislatoris Divini auctoritatem, merentur, ut a JCtis non negligantur prorsus: immo dudum fuit in votis, ut quispiam e nostris omnem istam jurisprudentiam pro hodierni seculi luce ordinaret explanaretque. Caput primum forte eiusmodi Operis specimen habet. In altero Controversiam Noodtio-Bynckershoeckianam tractavimus, non instar Judicis ex alto pronunciantis, sed ut solebat olim unus alterve Quiritium in foro Romano astare Principalibus Viris sententias suas magno cum auctoritate ferentibus, & de eo quod verius videbatur, privatos inter se miscere sermones. Huic rei fidem faciet nostra in iis recensendis demonstrata modestia. Fruere his nostris, CANDIDE LECTOR, aut tua rectiora imperti.*



CAPVT PRIMVM

DE

PATRIA POTESTATE  
SECVNDVM DISCIPLINAM HE-  
BRAEORVM.

D

I.

*M* DE PATRIA POTESTATE nonnulla meditantibus commodum videtur ante equidem, quam ipsam rem attingamus in *Potestatis* verbo consistere, & quae sit ejus origo et potestas breuibus indagare. Est autem factum, vt ab *bonos*, *honestas*, a *tempus*, *tempestas*, a *magis*, aut, si malis, a *majus*, *majestas*, ab *agens*, *egeestas*, ita a *potis* aut *potens potestas*, ex quo recte colligimus, eum, cui potestas est, eo, in quem est, haberi potiore potentiorumque. Talis in iure nostro occurrit potestas non una sed multiplex, atque potissimum est vel *Magistratum* in ciues, vel *Dominorum* in seruos, vel *Patrum* in liberos, vel *Tutorum* in pupillos. Primam dixeris civilem, secundam domesticam, tertiam naturalem, quartam vicariam. Illa Magistratum civilis, utpote quae ad civitatis voluntatem informatur, est summa omnino sui natura & maxima, quod vitae necisque jus intra se contineat, & sua auctoritate complectatur omnia & singula civitatis membra, & horum omnium singulares potestates. Quippe Magistratum est, videre, ne Dominus in seruum, pater in liberos, Tutor in pupillos peccet. Inde dubio procul est, quod



quod Magistratus, qui illam potestatem habent, sint ipsi appellati potestates, ut illa apud IVVENALEM (a) Fidenarum Gabiorumque Potestas; & Graeco sermone *ἔξουσις*, quod vel ex Novi Foederis tabulis claret, (b) ut de Itolorum, maxime Venetorum, Magistratibus, quibus *Podestà* (c) nomen etiam nunc est, taceamus. Secundam Potestatem diximus domesticam, quod fines ejus non aliter intelligere datur, quam si compertum habeas, qua lege quoque pacto in domini domum concefferit vel servus ipse, vel ancilla mater. Tertia est Patrum, eaque naturalis; nihil enim tam naturale est, quam ut ille, qui natura pater est, quod aetate sit major, prudentia superior, viribus pollentior, eum, quem Deus sibi dedit pignori, reipublicae olim reddendum restituendum, vel invitum, omnibus, quibus potest, modis, bonis tamen, fama, libertate, corpore, vita salvis, sibi morigerari, sapere, recte agere compellat. Quartam potestatem vicariam appellavimus. Tutorem enim habenti patrem

natur

(a) Sat. X. v. 100. Adde SVETON. in Claudio c. 23. & FLAV. VOPISCVM in Saturnino c. 9.

(b) LVC. XII, XI. Roman. XIII, I. 3.

(c) Neutiquam *Potta*, ut sibi persuasit doctissimus MENAGIVS in *Originibus Linguae Italicae*, ubi (ut in gratiam eorum, qui etiam has literas amant, hoc adjiciamus) perperam habetur: *POTTA* per *Podesta* e modo di *dire Modanese*. Si adjectum TASSONI locum e celebri poemate, *la Secchia rapita*, de-

promptum curatius inspicias, difices: Mutinenses non vocasse unquam suam ita Potestatem, sed vocem *Podestà* compendio scripturae in litteris sic expressisse, ut videtur esse *Potà*; id captantes Bononienses *Potestatem* Mutinensem, per *scherno*, per ridiculum & contumeliae causa appellasse *Il Potta*, de qua voce, pluribus MENAGIVS ibidem & doctissimus Originum Germanicarum Vindex, CRAMERVS noster, in suo *Dictionario*, voce: *Potta*.





patrem tutor alius dari non potest. Nos reliquis nunc mis-  
sis Patriae immorabimur.

II. Inter Patriam Potestatem & Patrium Jus subtile ali-  
quod intercedere discrimen, nobis equidem videtur, quod  
ut agnoscat, gemina ratione efficiemus. Jura inter Pa-  
rentes & Liberos sunt mutua & reciproca. Potestas est  
unice Parentum in liberos, non ulla liberorum in parentes.  
Sed & omni Juri, etiam patrio, responderet ex altera parte  
Obligatio: Potestati non aequae, sed huic responderet vel pa-  
tientia emendatrix, vel abrupta contumacia. Vidit in hac  
re non nihil, si non prorsus fallimur, B. GYNDLINGIVS,  
quando in Jure Naturae & Gentium (d) ita commentatur:  
*Vbi obligatio, ibi ab altera parte jus est: non autem, ubi jus,  
ibi semper obligatio. Postremum intelliges, si hominem in  
statu bellico consideres, aut saltem periculo, ubi de sua so-  
lum conservatione est sollicitus. Ita in bello unicuique belli-  
geranti competit jus cogendi alterum; neuter autem obstri-  
ctum se sentit, cogi ut se patiat, aut indefensus pereat.  
Illud autem de periculo alio in loco (e) haud paulo clarius  
in hunc modum exponit: Finge tres quatuorve in tabula  
salutem e naufragio quaerere. Habet unusquisque, si tabula  
tot sessores non ferat, jus propellendi alterum: sed neuter ve-  
ro, ut se patiat, propelli, obligatus erit naturaliter. Ad-  
damus visionem similem. Aufugiens e praelio, hostibus  
terga prementibus, & caedibus omnia late replentibus, vi-  
det equum sessore vacuum; accurrit, & altero pede stape-  
dae jam innixus, in eo est, ut, alterum pedem per aera li-  
brans, ephippio insideat. Ast eodem temporis momento  
adeest alius fugae periculique focius, & prehensio istius in-  
scendentis pede, miserum hominem tam fortiter impellit,  
ut,*

(d) Cap. I. §. 57.

(e) Cap. XXXVI. §. 44.



ut, excussus & equo & stapeda, humi procumbat; ipse vero insiliens in equum celeri fuga tanto se subducit periculo. Non dubitamus talia hosti, naufrago, profugo licere. Verum etiam existimamus illud nostri GVNDLINGII: *Vbi obligatio, ibi jus*; sed adhuc magis tenemus: *ubi jus, ibi obligatio*, quod haec illud sequatur, immo illud hanc efficiat. Obsuit, ut opinamur, acutissimo Viro, quod ista omnia Jure naturali annuente fiant. Sed inter Jus naturale, quod nobilissima legis species & actionibus hominum pro norma est, & inter jus, quod obligationem parit, multum interest. Qui inter nos militant, illi hostes caedunt, res rapiunt, domos villasque incendunt, &, quae alia tristis belli ratio permittit, faciunt. Jure equidem: Hosti in hostem omnia licent, neque unquam militi, bello per pacem finito, ista patrasse fraudi est; sed & similia, si belli alea id velit, patimur. Sessor in tabula naufraga, quae plures non fert, alterum excucit. Jure equidem: ne ipse cum reliquis tamen pereat; nec ob id dejectus & alia ratione servatus dejectum postea sceleris inculcabit; sed & tristis illius luctae auctor, si viribus aut arte inferior est, eundem casum patienter feret. Inesturum equo in tanto periculo alter dejicit. Jure equidem: suam enim salutem merito praefert alienae; nec hunc ille, forte fortuna servatus, ideo in jus vocabit, patienter tamen & ipse feret, si ille & robustior & agilior se invito sellam equi occupat, & frustra renitentem equi incitati beneficio post terga relinquit. Potestatis nostrae haec sunt, licent omnia, jure fiunt, juris tamen nomine haec ipsa non ornamus, quod nulla ex adverso adsit obligatio. Ita, ut ad patriam potestatem revertamur, Pater quoque filium immorigerum emendat. Jure equidem: quod finis monstrat: ut filius, in posterum melio-

K



meliora sequatur, deteriora fugiat; nec unquam filio, licet sui juris factio, dabitur adversus patrem ob emendationem actio. Patitur hanc filius, & <sup>et observatur patris</sup> mores animi que mutat, si sapit: sin minus, jugum paternum excutit, potestas cessat, poenis naturalibus, & crescente improbitate, civilibus nequam & flagitiosum hominem a tergo subsequenteribus.

III. Potestas haec a natura proficiscitur, ex quo sua sane sponte fluit, iura civilia demere aut imminuere eam non posse, posse autem augere & amplificare, quod ipsum illustrioribus exemplis confirmare non dabitur, quam illis, quae nobis Sacrae Literae suppeditant. Nemp inter tot ingentia beneficia, quibus Deus terrae coelique conditor Hebraeam gentem est dignatus, illud haud postremum, immo fere princeps est, quod in ejus e durissima Aegyptiorum servitute liberatae gratiam legislatoris civilis sibi ipse induerit personam, eoque descenderit, ut etiam bovem triturantem asinumque errantem non neglexerit. Iura Parentum uno illo sed vastissimi ambitus praecepto est complexus: Honora Patrem tuum & Matrem tuam, (f) subjuncto altero: Quisque matrem suam & patrem suum timore. (g) De obligatione liberorum verba fecit divinus legislator, probe gnarus, ita se & jura Parentum, obligationum fontem, tradere. Obsequium liberis inculcat; simul iussa Parentum roborat. De Potestate Patria nihil praecepit Deus, certus, quod eam natura hominis a se conditi

fatis

(f) Exodi XX, 12. Deuteronom. V, 16. Adde, si lubet, FRANCISCI RAGVELLI *Leges Politicas ex S. Scripturae libris collectas, & ad eas interpretamenta* LAYR. BOHELLI p. 4. sequ.

(g) Levit XIX, 3. Adde si lubet, R. LEVI BARZELONITAE *Juris Hebraeorum Leges CCLXI.* uti a IO. HENR. HOTTINGERO sunt editae p. 37. & 313.



fatis loquatur. Si quis dubitaret, num ista vox in Populo etiam Israelis fuerit audita, ad sapientissimum gentis illius Regem eum ablegarem, qui in Proverbiis suis: (b) *Castiga, inquit, filium tuum, dum spes est, at ad mortem ejus ne condonato animus tuus. Magnus esto excaescentia condonans multam, dicens, te, si eripias, deinde amplius multaturum.* Haec omnia aeterno & naturali jure sunt constituta: nunc videamus, qui Deus Potestatem Hebraeorum Patriam auxerit amplificaveritque pro arbitrio suo, licet sapientissimo. Primum Caput est, quod Pater Hebraeus filiae suae votis potuerit intercedere: (i) *Femina cum vovit votum Jehovae, aut obligavit se obligatione domi patris sui in adolescentia sua: si, cum audit pater ejus votum ejus, aut obligationem, qua obligavit se ipsam, tacebit apud eam pater ejus: tunc stata erunt omnia vota ejus, & omnis obligatio, qua obligavit se ipsam, stata erit. Sin autem efficiet pater ejus, ut ea infringat illud, quo die audiverit, nullum ex votis ejus aut obligationibus ejus, quibus obligavit se ipsam, statum esto: & Jehova condonabit ei, quia pater ejus efficit, ut ea infringeret illud.* Alterum caput est, quod Pater Hebraeus filiam potuerit vendere Hebraeo, non ut rursus vendat, omnium minime alienigenae, sed ut aut ducat ipse, aut filio in matrimonium collocet, aut eam redimere faciat: (k) *Cum autem vendiderit quis filiam suam, ut sit ancilla; ne exito ut hi servi exeunt. Si mala videbitur in oculis domini sui, ita ut non desponsat eam sibi, nec curet eam redimi, alicui e populo extero ne jus habeto, vendendo eam, perfide agendo cum ea. Quod si filio suo desponsat eam,*

K 2

secun-

(b) XIX, 18. ex versione TRE-  
MELLII & IVNII.

(i) Numeror. XXX, 3.

(k) Exodi XXI, 7. sequ. Adde  
R. LEVI BARZELON. per HOT-  
TINGERVM editum pag. 56. 67. 68.





secundum jus ipsum puellarum facito ei. Si alteram acceperit sibi, alimentum, operimentum ejus & habitationem ejus ne dimnuito. Quod si tria ista non fecerit ei, tum exito gratis absque pecunia. Tertium caput omnium gravissimum est de filio immorigero Senioribus civitatis ad lapidationis supplicium offerendo: (1) Si cui fuerit filius contumax & rebellis, qui non auscultat voci patris sui & voci matris suae, quamvis castigaverint eum, tamen non auscultat illis. Ideoque prehendentem eum pater ejus & mater ejus produxerint eum ad Seniores civitatis suae & ad portam loci sui. Dicentes Senioribus civitatis suae: filius noster iste contumax & rebellis non auscultat voci nostrae, comestator & ebriosus est. Tunc obruent eum omnes cives ejus lapidibus, ita ut moriatur, & tolles malum illud e medio tui, ut omnes Israelitae audiant & timeant. Vbi operae pretium erit ad sequentia attendisse: patris & matris hic fuisse parem potestatem: non nisi per gradus castigationum, & ut verisimile est, in facto nunquam non accidisse, comminationum de istis extremis de immorigerum statuendis ad tantum rigorem patuisse ascensum: non gravia in parentes commissa, verbera forte illata, maledicta & imprecationes in eosdem coniectas, quae, ut publica delicta, capitalia esse, alibi (m) decrevit Divinus Legislator, sed commestationes & ebriositatem, familiaria primae aetati vitia, & ut multis videtur, quod sint juventutis peccata, levia & veniam merentia, tanta severitate puniri potuisse: Extremum tamen in hac jurisdictione non fuisse in manu parentum, sed tradendum filium senioribus, iudicibus, & in loco iudicii, in porta: unam tamen parentum voluntatem vocemque fuisse instar

(1) Deuteron. XXI, 18. sequ.

(m) Exodi XXI, 15. 17. Levit. XX, 9.



instar plenissimae probationis: denique cum ordinarium ultimi supplicii genus, ut Hebraeorum magistri volunt, fuerit strangulatio, (n) filium tamen immorigerum lapidibus obrui, edixisse legem severissimam, scilicet ut commune civitatis, piaculum omnium veluti civium manu aboleretur.

IV. At, inquires, num fuit unquam repertus pater & maxime mater, tam atrocis sententiae, ut hac tam gravi lege sint usi? Id fateamur, sacrarum historiarum monumentis exemplum idoneum non esse mandatum. Sed an quis tale unquam extitisse ideo recte negabit? Nobis ita non videtur, maxime quod exempli non absumilis recordamur, quod inter Persas contigit, & quod AELIANVS, (o) bonae frugis auctor, nobis servavit. Rhacoces quidam genere Mardus, septem habebat liberos. Horum natu minimus, cui Cartomes nomen erat, pessimam agebat vitam. Pater, ut emendatius viveret, multis cohortabatur verbis: ubi, se persuadere non posse filio rectiora, sentiebat, accederentque regii ad istum locum iudices, ad hos filium, manibus post terga revinctis, ipse adducebat, & facinoribus filii ordine enarratis, ut leto eum darent, enixe rogabat. Iudices novitate & gravitate rei commoti utrumque ad Artaxerxem Regem perducebant, qui ad Patrem: *ἔτα τοιμήσεις τοῖς ὀφθαλμοῖς τοῖς ἑαυτοῦ τὸν υἱὸν ἀποθνήσκοντα ὑπομένω; ὁ δὲ ἔφη, πάντων μάλιστα. Ἐπὶ καὶ ἐν τῷ κήπῳ, ὅταν τῶν Φυομένων θριδακινῶν τοῖς ἐκφύσεις τὰς πικρὰς ἀποκλῶ καὶ ἀφαιρῶ, οὐδὲν ἢ μήτηρ αὐτῶν ἢ θριδακίνη λυπεῖται, ἀλλὰ θάλλει μᾶλλον, καὶ μείζον καὶ γλυκίαν γίνεται. Ἀμα καὶ ἐγὼ, ὦ βασιλεῦ, τὸν βλάπτοντα τὴν ἐμὴν*

K 3

οἰκίαν

(n) Vide LAVR. BOCHELLVM ad FR. RAGVELLI *Leges Polit. V. & N.* T. p. 5. & R. LEVI BARTOLON. per HOTTINGER. p. 57.  
(o) *Variae Histor. Lib. 1. Cap. 34.*





οίκιαν καὶ τὸν τῶν ἀδελφῶν βίον θεωρῶν ἀπολλύμενον, καὶ τῆς κακου-  
 γίας τῆς εἰς αὐτοὺς παύομενον, καὶ αὐτὸς ἀνξήθησομαι, καὶ τοῖς λοι-  
 ποῖς τοῖς κατὰ γένος συνέσομαι τὰ αὐτὰ ἐμοὶ εὖ πάρουσιν. *Ita, in-*  
*quit Rex, tu audebis oculis tuis sustinere filii supplicium?*  
*Immo vero, respondit Rhacoces, & quam libentissime. Nam*  
*& in horto, quando succrescentibus lactucis excrescentias*  
*amaras defringo & aufero, nihil mater eorum damni pati-*  
*tur, sed efflorescit magis & melior dulciorque evadit. Sic &*  
*ego, ubi illum, qui domum meam & fratrum fortunas lae-*  
*dit, periisse, & a maleficiis suis in istos cessare videro, & ipse*  
*augēor, & cum reliquis mei generis ero una mecum istud*  
*commodum sentientibus. Coilaudavit Rex parem, & in-*  
*ter regios iudices esse iussit, ratus eum in alienis contro-*  
*versis fore accuratum & incorruptum, qui inter liberos*  
*tam justam sententiam dixisset. Sed & filio praesentis poe-*  
*nae fecit gratiam, gravissimum mortis genus eidem inter-*  
*minatus, si prioribus similia unquam perpetrarit. Dubii*  
*haeremus, num majorem laudem mereatur illa animi pa-*  
*terni in coercendo filio constantia, an regia cum erga pa-*  
*trēm tum erga filium demonstrata prudentia & magnanimitas?*  
*Quid Rhacoci omnique ejus domui evenire potuit, si*  
*Caromes tanto periculo fractus resipuit, laetius? Quid in-*  
*ter Persas unquam statutum est, si idem nihil eo casu mo-*  
*tus suo sibi jumento arcessivit deterrimam mortem, justius?*  
*Quid itaque vetat credere, fuisse etiam in Hebraea gente*  
*reperos patres Rhacoci non absimiles, quorum mentem*  
*justi tenacem etiam divinae legis auctoritas animabat?*

V. Scire leges, inquit noster CELSVS (p) non est ver-  
 ba earum tenere, sed vim ac potestatem, ad quam indagan-  
 dam non alia est via planior, quam si rationem earum te-  
 nea-

(p) L. 17. D. de Legibus.



neamus. Haec verissima esse judicamus in legibus humanis; in his divinis forte sanctius ac reverentius videbitur, justissimas rectissimasque esse, credere quam scire. Non inepte dixeris & hic cum sanctissimo Apostolo: (q) *τις γὰρ ἔγνω νοῦν κυρίου, ἢ τις σύμβουλος αὐτοῦ ἐγένετο;* Verum enim vero, cum sint homines *δοκησισοφοί*, Mosi, viro sanctissimo, ejusque legibus infesti, licebit, ut opinamur, nobis, etiam de harum legum rationibus nonnulla commentari, non ut abstrusum Dei, in tanto negotio Prophetæ & *μεστου* ministerio utentis, consilium exhauriamus, dubio enim procul & in hoc opere, quo respublica Hebraea est ordinata, latet *βάθος πλούτου καὶ σοφίας καὶ γνώσεως Θεοῦ*, sed ut demonstremus, leges istas, si fuissent mere humanae, ratione tamen sua, adeoque & auctoritate non fuisse carituras. Quod ad primum caput attinet de votis filiarum a patre dissensu suo infringendis, e veteri memoria constat, plerarumque gentium fuisse hanc de sequiori sexu sententiam, eam masculina tutela egere, regendas moderandasque feminarum actiones sapientiori aliquo consilio, obviam esse eundum iis, quae ipsae minus recte designaverint, maxime in ista aetate, quam agunt filiae domum paternam nondum egressae. At, inquires, hoc forte in aliis se recte habere; hic adeste votum, rem inter Deum & hominem transactam. Sunt Viri docti, qui in omnibus votis incertum esse existimant, num id, quod homo pollicitus est, Deus habuerit ratum, gratum & acceptum, (r) quod nos ita accipimus atque interpretamur, non posse viventem in statu naturali ulla humana potestate adigi, ut pollicitationi suae faciat fati, si idem existimet, Deum, quae temere vovit, sapientissime

(q) Ad Roman. XI, 34.

(r) *Nat. & Gent. Cap. XI. §. 13. Cap. XII. §. 9. Cap. XIII. §. 7.*(r) GYNDLINGIUS in *Jure*





rissime iustissimeque fieri noluisse, quod in iis est manife-  
 stum, quae si adimplerentur, cum aliis praeceptis natura-  
 libus pugnarent. Fac Jephtham holocaustum Deo voven-  
 tem in parricidii necessitatem incidisse? Nemo sanus, veram  
 hanc esse necessitatem, rem transactam esse dixerit. In re-  
 liquis erit probi hominis aliud de temere suscepto, sed in  
 nullam aliam vel divinam, vel humanam legem impingente  
 voto intra suae conscientiae cancellos iudicium, quem in-  
 tellecturum confidimus, quod Deus votum, licet contra  
 propria commoda susceptum, suo cum damno solventis sit  
 probaturus obsequium. Secus se res habet in iis personis,  
 quas legislator alieni juris esse voluit, de qua re infra ali-  
 quis erit dicendi locus. Nos tandem his omnibus in tuen-  
 da lege nostra nihil indigemus. Non humana potestas est,  
 sed divina, quae Hebraicarum filiarum vota solvit. Quod  
 pater fieri non vult a filia, se quoque nolle, & reculare,  
 Deus discretissimis verbis testatus est. Parce tamen & non  
 nisi gravibus causis intervenientibus Abrahamidas pios tanta  
 potestate esse ufos existimamus. Denique Hebraeorum  
 filios familias votis suis obstringi, haec ipsa lex, exceptione  
 sua regulam in istis firmans, manifeste monstrat. In secun-  
 do capite, quo filiarum venditiones ordinantur, Deus sa-  
 pientissimum consilium iniisse videtur, quo illud in con-  
 nubis sociandis tam frequens inter pauperiores ditioresque  
 familias discrimen, sane, si meram rectam rationem audias,  
 improbum, tollatur e medio. Quis enim patrum vendi-  
 dit nisi egentior? Quis dominorum emit nisi locupletior?  
 Venum exponebatur filia, & qualis? fere nubilis, ne ser-  
 vitus sit diuturna, nec e mentis aut venditae spes trahantur  
 in longum; praeterea sororum pulcherrima, moribus pro-  
 batissima, artium femininarum callentissima. Pro merce  
 mala



mala aut vili nemo teruncium obtulisset. Ancilla, non ignara finis, vitam egit emendatissimam, & placere omnibus modis studuit, ne mala videatur in oculis domini sui: Hic mores ancillae talis accurate inspexit, recte facientem colaudavit, bonis verbis spes ejus indies auxit, & tandem vel duxit ipse, vel a se dotatam filio suo collocavit in matrimonium. Si neutrum voluerit, quod nempe ancilla mala visa fuerit in oculis suis, tertium erat officium, ut faceret eam redimi, quod apertissime monstrat illius venditionis scopum, matrimonii spem proximam, qua collapsa, volebat amplius Deus Hebraeam filiam esse in servitute. Ut redimeretur, cum suae voluntatis declaratione, tum bonis admodum conditionibus efficiebat dominus. Quis eam redemerit, non convenit inter Magistros. Placet ABEN-ESRAE sententia, sive ipsa seipsam redemerit, sive parens ejus, sive unus e propinquis, quibus forte non inepte addemus quemcunque Israelitam, si, puellam injuria sperni animadvertens, eo sine obtulerit *ἀγορῶν*, ut ipse in matrimonium eam ducat. Si horum trium Dominus fecerat nihil, puella domo cessantis heri gratis exhibat. De capite tertio, quo patri licebat filium immorigerum certae destinare morti, vix habemus, quod addamus, cum Deus Israelis finem ejus suum populum non celaverit: *ut omnes*, inquit, *Israelitae audiant & timeant*. Vnus possit injici scrupulus, qui hujus legis timor ad omnes potuerit pertinere Israelitas, cum terror supplicii non ad alios quam ad filios familias perveniret; ad quem primum respondemus, voculae & quae verbum utrumque ligare videtur, vim non esse copulativam, sed disjunctivam restrictivamve, ut omnis Israël audiat, at illi, ad quos comminatio pertinet, etiam timeant. Praefixi enim ὃ quod hic occurrit, infinitam fere esse potestatem,

L

statem,





statem, norunt omnes, qui linguam sacram vel primis labris degustarunt. Porro id dubii evanuit post illorum facta, qui istam legem, ut sui juris homines promulgari audiverant, ampliusque non repertus fuit Israëlita, qui istam legem non & audierit & timuerit. Denique non dubitamus praeter τὸ ἕν τὸν legis gravissimae, etiam fuisse hanc ejus διαίωσαν, ut Israëlitae, qui imperio prorsus paterno se regi non ignorabant, inde intelligerent, Deum, filios parentibus suis non obsequentes morti destinantem, patres etiam familias paternis suis iussibus non obtemperantes gravissime, & pro infinito inter patrem coelestem & ipsos natura parentes discrimine, morte etiam aeterna ulturum. Sane hanc sententiam non potuere non agnoscere, vel in ultimis pessimisque reipublicae Judaicae temporibus, illi, qui Dei filio apud IOANNEM (s) his verbis obloquebantur: *Ἡμεῖς ἐκ ποτείας οὐ γεγενήμεθα, Ἐνὸς πατέρος ἔχομεν, τὸν Θεόν.*

VI. Una superest quaestio: num hodie inter nos Deum Israelis in spiritu & veritate invocantes superfit eadem, quae inter Israelitas viguit, Parentum potestas? quod a generali decisione de legum Mosâicarum inter nomen Christi professos auctoritate pendet. Consulimus ante omnia libellos nostros, & duos viros doctos sententiam dixisse reperimus, alterum non incelebrem Ictum, alterum reformatae ecclesiae Theologum. Ille est IOANNES CALVINUS alias Ruhl. Wetteranus I. D. Heidelbergensis Academiae Professor, qui *Themidem Hebraeo Romanam, id est, Iurisprudentiam Mosâicam & Juris tum Canonici tum Civis Romanam invicem collatam Hanoviae 1595. 8. edidit, & in Epistola ad Fridericum IV. Comitem Palatinum ad Rhenum & Electo-*  
rem

(s) Cap. VIII, 41.



rem dedicatoria nobilissimam illam, ut in Titulo est, & scitu  
 necessariam disculfit quaestionem: *An leges Mosaeae &  
 quaedam & cur & quatenus hodie Christianos homines obli-  
 gent?* Orditur verbotam disputationem distinguendo inter  
 leges humanas & divinas, illas & ratione & auctoritate es-  
 se imperfectas, has ex utroque capite perfectas. Tenen-  
 dam, ait, distinctionem legum divinarum in morales, ce-  
 remoniales & forenses, quamvis paucae sint mere tales,  
 pleraeque mixti generis; Juris & Legis non tantum prin-  
 cipium & originem sed & fundamentum & basim esse ratio-  
 nem rectam; hanc autem esse vel universalem seu univer-  
 sim omnium hominum communem, vel particularem; in-  
 de nasci Juris & Legis divisionem in universalem & partic-  
 ularem; Leges etiam Mosaeas politicas seu judiciarias,  
 quas sane forenses superius appellarat, etiam esse vel uni-  
 versales vel particulares; illas immutabiles, has mutabiles,  
 immo mortuas, & si restaurentur vel mortiferas vel non  
 mortiferas; & hic demum, ut in proverbio est, erat Rhod-  
 us, & CALVINO nostro saltandum, idoneisque exemplis  
 ista maxime divisio legis forensis in universalem & partic-  
 ularem, immutabilem & mutabilem illustranda, vel, quod  
 satis erat, omnis illa Themis Hebraeo-Romana secundum  
 haec praestructa ordinanda. Sed & illud neglexit, & in  
 ipso opere *quarta* sua, ad eaque collecta utriusque Iuris  
 loca, secundum Decalogi capita incedere iussit. Ut aliquid  
 dixisse videatur, ex omnibus illis ita distinctis axioma putat  
 consequi: *Qui jure communi civiliter ex lege Mosi quondam  
 mortis reus erat: idem reus mortis etiamnum hodie perhi-  
 bendus est, mortique adjudicandus.* Et alio in loco sic con-  
 tra: *Qui jure communi civiliter ex lege Mosi reus mortis  
 non erat, itaque simpliciter: is nec hodie reus mortis haben-*  
 L 2 *us*





*das est.* (t) Licebit itaque Patri inter nos filium immo-  
gerum magistratibus offerre, ut leto detur, & magistra-  
tuum erit officium, severae Patris voluntati obsequi, immo  
omnium civium, male merentem lapidibus obruere. A  
Icto nos convertimus ad Theologum, WILHELMVM ZEP-  
PERVM, Ecclesiae Herbornensis Ministrum, qui *Legum  
Mosaicarum forensium Explanationem Herbornae Nassovio-  
rum 1614.* 8. secundum edidit. Sperabamus hic planiora  
& rectora, quod prima istius scripti editio anno seculi su-  
perioris quarto, adeoque novem post CALVINI Themid-  
dem vulgatam annis in publicam prodierit lucem: sed ista  
spe excidimus, & ZEPPERVM eadem fere oberrare chor-  
daprehendimus. Mox capite libri primi secundo quaes-  
tio proponitur: *An forensia Mosaica abolita nunc sint?* ca-  
pitate tertio argumenta eorum, qui forensia Mosaica in uni-  
versum abolita volunt, & capite quarto argumenta, illo-  
rum, qui forensia salva adhuc & integra volunt, recensentur,  
suam denique capite quinto mediam de forensibus sen-  
tentiam huic thesi includit: *Quicquid in Mosaicis legibus  
immutabilem & perpetuam habet rationem & naturam, ju-  
re communi immutabiliter, & semper, quasi adamantino*  
vin-

(t) Qui ipsum CALVINI libel-  
lum inspicere non gravabitur, hoc  
posteriore in loco sub litera d. of-  
fendet in margine: *An ergo fures  
hodie poena mortis affiendi?* Ego  
nullus dubito, cum ejusmodi sum-  
mae ditorum & indices alii in to-  
ta illa praefatione sat prolixa non  
appareant, nec in ipso hoc loco  
futurum vel verbulo fiat mentio, vi-  
rum aliquem prudentem, vel cen-

forem vel lectorem illius loci, scrupulum injiciendi causa haec in margine allevisse, CALVINVM autem peregrinam hanc notam non animadvertisse. Vix furcae & rotae vim nobis injustam defendunt, quid quaeso futurum esset, si per Auctoris nostri axioma furibus & raptoribus ista suppliciorum justissimum loca & monumenta plane evertere liceret?



vinculo omnes homines omnibus temporibus & locis obligat. Quicquid vero mutationis rationem & conditionem implexam habet, Christianorum non amplius constrictis tenet conscientias. Addit mox: *Quae distinctio si probe observetur, & ad illam singulae leges Mosaicae accurate exigantur, tota haec quaestio luce meridiana clarior evadet.* Sed hoc erat munus incepti, Explanatoris legum forensium Mosaicarum: hanc lucem nobis lusciosis accendere, singulas leges ordine collocare, & quaenam immutabilem & perpetuam rationem habeant, quae ea destituuntur, ostendere, & de gravissimo crimine, de male neglecta in legibus divinis forensibus universalibus obedientia Christianos accuratissime monere. Sed Auctor noster de hoc securus, suas leges secundum decalogum ordinat, multa plane ἀλλέγοι admittet, & saepenumero in alienam messem falcem immittit. Ne nihil dixisse videatur Cap. 8. §. 57. haec illustrationis causa in medium affert exempla. *Sic agris adhuc sua est concedenda quasi respiratio, pro cuiusque regionis sterilitate seu fertilitate.* Rem miram narras, mi ZEPPERE, Rusticum lege forensi immutabili de agris septimo quoque anno non conferendis obligari, non equidem, ut ipse a conferendis agris quovis anno septimo abstineat, sed ut pro terrae sterilitate vel fertilitate suum quoque agrum respirare patiatur. Callent haec nostri homines absque divinae legis adminiculo, & colonus, qui ager stercoratione juvari possit, qui frugum genera sint alternanda, & quae alia docuit magistra experientia, ignorans, imprudenterque fata terris imperans suo damno eruditur, stultus, ut opinamur, nequaquam legis Mosaicae forensis & immutabilis transgressor. Pergit Noster: *Ea adhuc exstructionis domum ratio & via ineunda est, quae neque nobis neque aliis*



*damna & incommoda adferat.* Decebat Theologum vel nosse vel saltem recordari, legem forensem de muniendo tecto ad nostram aedificandi rationem plane non quadrare. *Idem pauperum curam ex legibus forensibus de messe & vindemia elicit.* Nos existimamus, patrem familias, qui omnes spicas sublegit, omnes agri angulos demetit, omnes uvae acinos follicite conquirat, nihil peccare, modo idem patres ad horrea sua accedentes non dimittat inanes. Quam haec & quae idem de vestium honestate & de servis humaniter habendis ibidem dixit, futilia sint, nemo non videt, intelligitque facile, bonos illos viros leges forenses, quae vetant vel jubent, cum veritatibus, vel humanae prudentiae, vel divinae auctoritatis, qualiter qualiter adfinibus, confudisse.

VII. Missis itaque his Duumviris, aliisque qui easdem tibus inslant, abscisse negamus, ullam superesse legum divinarum forensium auctoritatem, nec veremur, ne in Anabaptistarum castra hac via delabamur, quos inter eos, qui hanc sententiam sequuntur, primo loco collocat ZEPPE-RVS. Inter hominem enim fanaticum, qui omne legum forensium & politicarum jugum excutit, & virum probum, qui idoneis rationibus usum legum forensium Hebraicarum negat, suae autem civitatis leges forenses insigne Dei minus esse agnoscit, multum interest. Quod abscissae nostrae negationi obstare videtur, est, quod tamen illae leges sint divinae, ideoque sapientissimae. Ita est, sunt sapientissimae, quia divinae: sed divinus auctor, qui hic legislatoris particularis, summi Hebraeorum magistratus, personam sibi ipse induit, eam quoque rite gessit, suasque leges forenses ita condidit, ut prae oculis habuerit gentis indolem, mores, statum, vitia, terrae promissionis, quam eadem habi-  
tatu-



tatura erat, fitum, bona, mala, alios denique plures, partim cognitos nobis, partim incognitos fines, sed omnes quod ex particularis legis natura fuit, uni isti populo proprios, ut adeo ejusmodi leges omnibus hominibus, quibuscunque gentibus aprare, esset mera insipientia: aut saltem, citra divinum jussum, qui nullibi apparet, & absque humana auctoritate, tamen pro legibus venditare, foret insignis temeritas. Ut haec magis in aprico sint, illustrabimus nostram sententiam istis Mosaisicis de Patria Potestate legibus forensibus, eamque in sua dividemus capita, quorum primum est, has leges, licet divinas, sua propria vi obligare neminem, ideoque & patri, filiarum votis intercedere, filias matrimonii causa vendere, filios ad lapidationis supplicium offerre, non licere. Alterum est: legislatores etiam nostros easdem leges impune negligere, suamque rem publicam propriis institutis, moribus, legibus regere. Tertium est, licere tamen iisdem has leges, si ita videbitur, restituere & imitari, ubi tamen sapienti discrimine maturoque consilio opus est. Ita nulli dubitamus, principes ex fonticis causis posse statuere, ut liberorum vota, dissentientibus parentibus, sint irrita, nec nos movebit, Deo tamen overi, Deo promitti. Vti enim semper dubium & incertum est, num votum Deo placuerit, num idem promissa acceptaverit, ita hic longe sumus certissimi non placuisse votum, quod parentibus displicet, non acceptasse, quod voluntati legumlatoris repugnat. Summum Numen clarissimis, divinis, universalibusque legibus praecepit, morem gerere parentibus, obsequi summo magistratui; quicquid istas leges violat, nec placet, nec obligat. A venditione filiarum, licet matrimonii causa, nostri legislatores rectius abstinebunt. Omnis hominum nostrorum

status





status ante esset immutandus, quam haec possent sanciri, & hac re confecta, foret adhuc dubium, num ista merces sit inventura emptores. In immorigeros denique liberos, flagitante publica necessitate, ultima licent. Ingressus est viam POTENTISSIMVS REX noster, cui vera laude illud applicueris, quod in fabula Ilioneus apud MARONEM (u) de Aenea suo dixit:

*Rex . . . quo justior alter*

*Nec pietate fuit nec bello major & armis.*

Hic ante hos decem & quinque annos Constitutionem edidit nobilissimam, *Verordnung wegen Bestrafung der Kinder, welche ihren Eltern wiederspenstig sind*, quod non ita capias, ac si ante istam constitutionem liberis in parentes peccare licuerit impune: qui ea licuissent in parentes, quae in vilissimum non licent? probra inferre, maledictis incessere, pugno percutere, fuste dedolare; & ipse Rex in Constitutione: *obngeachtet solches so wohl in Gottes Wort, als in der hiesigen Policey-Ordnung bey nachdrucklicher Strafe verboten, auch theils bey den Landgerichten, theils bey denen Justiz-Collegiis würcklich bestrafet worden*: Sed id desideratum esse, quod leviora nemo non negligeret, graviora etiam, ut ad domesticam disciplinam pertinentia, dissimularentur, certe magistratus non nisi implorati de crimine cognoscerent, in poena etiam admodum variarent, quibus adeo voce sensuque regali in hunc modum remedium adhibitum: *So ordnen wir und wollen, daß solche Frevelthaten, es mögen selbige so geringe seyn als sie wollen, hinfubro jedesmahl für criminal angesehen, von unsern Beamten davon an die Justiz Collegia berichtet, und die Verbrechere respectiv mit dem Zuchthause und Karrenschieben dem Bestrafen*

(u) l. Aeneid. 548.



den nach bestrafet werden sollen. Fac juvenutem eo vesaniae delabi, ut ne his quidem se coerceri pariatur; ad graviora, ad ultimum supplicium, nova Legislatione posse procedi, quis ibit inficias. Quartum denique est, Leges tales divinas restauratas tamen non esse nisi humanas, quas adeo in illius, qui tulit, erit nunquam non potestate minuere, augere, immutare, antiquare.

CAPVT SECVNDVM

DE

IVRIS VITAE ET NECIS  
IN LIBEROS APVD ROMANOS  
EXITV.

Inter gentes reliquas, quae humana auctoritate sua re-  
xerunt instituta, non fuit facile ulla, quae naturalem illam  
parentum in liberos potestatem magis amplificaverit, quam  
Populus Romanus Quiritium. Hic emendationem, quam  
ipsa rerum natura patribus concessit, recta autem ratio in-  
ter iustissimos fines coerces, ut bona, status, corpus, vi-  
ta liberis sint integra & salva, in regiam veluti iurisdic-  
tionem convertit, & patri, ut magistratui domestico, cum  
uni, tum summo, merum in familiam imperium dedit,  
quò ipso Patresfamilias Romani in suos liberos tam severe  
aliquando sunt usi, ut Viris doctissimis potestas immanis,  
jus occidendi, *patro potestate* fuerit visa. Num satis recte,  
M nunc



nunc non disputamus. Nobis in hoc tractatu plerisque in locis perinde erit, sive quis illud vitae necisque jus habeat judicarium, sive credat arbitrarium. In hoc certe fati consentimus omnes: Patres Romanos olim in sua emendatione ad ultimum usque supplicium potuisse procedere: sed & stante adhuc re Romana, ab isto jure esse discessum: quò tandem tempore hoc factum sit, in eo esse non levem doctissimorum Virorum dissensum, maxime postquam nostra aetate duo Artis Legitimae in Belgio Decora, GERHARDVS NOODTIUS & CORNELIUS VAN BYNCKERSHOEK, publicis in scriptis diversissimas dixerunt sententias.

II. Primus equidem ille Academiae Lugduno-Batavae J. C. & Antecessor clarissimus, occasione legis 4. D. de agnoscendis & alendis liberis, dedit nobis *Julium Paulum*, (quod istud fragmentum sit illius summi J.Cti, ex ejus Sententiarum libro secundo excerptum,) sive de Partus Expositione & Nece apud veteres librum singularem, qui inter Opera Viri celeberrimi Lugd. Batav. 1724. fol. excusa Tomo I. p. 565. quartum editus legitur. Summa doctrinae Noodtiana haec est: „Romulum, Dionysio Halicarnasensi teste, vetuisse parentes exponere partus, nisi mutilos aut monstrosos, ex quinque vicinorum sententia: Secus facientibus poenas cum alias, tum publicationis dimidiae partis bonorum proposuisse: Hanc legem Romuleam a Decemviris in XII. Tabulis esse repetitam, teste Cicerone: Senecam & patrem & filium de usu suorum temporum testari: Tacitum in de Moribus Germanorum libro suorum temporum mores recte notare: Tertullianum & Lactantium idem Gentilibus objicere, & palam exprobare: Eo majore hoc factum esse jure, quod Quiritibus



rites non infirmos & portentosos tantum, sed integros quoque, qui parentibus oneri futuri viderentur, vel eis ob sexum, aut conjugis odium, aut aliquod omen, aut aliter displicerent, exponi, abjici, aut necari fuerint passi, eo colore quaesito, quod, teste Philone, partus nondum editus, amplius recens natus, nisi nutricis opera intervenisset, vulgo non haberetur homo: Ne Constantinum quidem Imperatorem ausum esse sua auctoritate propositaque poena tanto malo ire obviam, sed alio remedio, quod ipsum Legis I. Cod. Theod. de alimentis, quae inopes parentes de publico petere debent, rubrum satis indicat, partus alias exponendi salutem & conservationem prospexisse, Valentinianum demum Valentem & Gratianum Imp. in L. 8. C. ad Legem Corneliam de Sicariis necati infantis piaculum capitali supplicio puniendum esse, jussisse; partum etiam expositiones in L. 2. C. de infantibus expositis eidem poenae addixisse.

III. Horum pleraque nobis videntur esse bene dicta, & idoneis auctoritatibus maximam partem roborata. De lege Romuli est manifestus DIONYSII HALICARNASSENSIS locus *Antiqu. Roman. II. p. 88.* In XII. Tabulis de licita insignium ad deformitatem puerorum nece fuisse cautum, ex loco CICERONIS, in *de Legibus Libri III. c. 8.* dubio licet & mendoso, tamen haud dubie liquet. Exemplo Augusti, quem ex nepte Julia post damnationem editum infantem agnosci aliique vetuisse, memorat SVETONIVS in *Octavio c. 65.* nollemus uti, quod hoc infelix avus publicae salutis causa & summi imperii jure statuisset poterat vidcri. Nec multum praesidii esse opinamur in alio SVETONII loco (a) ubi, partus conjugum Antiochiae

M 2

ea

(a) In vita Caji c. 5.



ea die expositos esse, ait, quo Germanicus Caesar defun-  
ctus est; quod summi luctus id fuerit indicium, & qui, &  
a quibus id factum sit? nos lateat. *SENECAE Controver-*  
*sia Libri quinti XXXIII.* huc spectare videtur integra de  
eo, qui expositos debilitabat, & debilitatos mendicare cogebat,  
ac mercedem ab eis exigebat, an is laesae reipublicae foret  
reus? Sed Rhetor est, & Graeca Latinis miscet. Si de  
moribus Parrum familias Romanorum & liberorum homi-  
num expositione, (nam & vernularum expositorum fit ibi-  
dem mentio) *TYRRINVS CLODIVS* ibi sensit (b) verba a  
*NOODTIO* in subsidium vocata: *Namque quidam statim*  
*aliqua parte corporis mutilati, infirmi & in nullam spem ido-*  
*nei: quos parentes sui projiciunt magis quam exponunt:*  
promiscuam exponendi liberos licentiam haud obscure in-  
dicare videntur. Dum enim inter *projectionem* & *expositio-*  
*nem* manifeste distinguit, illamque ait esse mutilatorum, in-  
firmorum, in nullam spem idoneorum: eo ipso ostendit,  
hanc fuisse integrorum, sanorum, ad quamcunque spem  
idoneorum; sed & omnem adeo infantium expositionem,  
& rejiculorum, & non rejiculorum, fuisse inter licita, simul  
haud obscure indicat. Sed quid potest esse dilucidius testi-  
monio *SENECAE* filii *Libr. I. de Ira c. 15.* Meras duode-  
cim tabulas recitare videtur, non in verbis, quae *NOOD-*  
*TIVS* simul excitavit: *portentosos fetus exstinguimus*, quae  
ad pecorum fetus pertinent, sed in sequentibus, majori ali-  
qua distinctione ideo ab antecedentibus separandis. Ut de  
hoc constet, integrum adscribimus locum: *Rabidos effligi-*  
*mus canes, tracem atque immansuetum bovem caedimus,*  
[et] (c) *morbidis pecoribus, ne gregem polluant, ferrum de-*  
*mitti-*

(b) Editionis Amstelodam. p. 30.

(c) Nulli dubitamus, istam co-  
pulam



*mittimus, portentosos fetus extinguimus. Liberos quoque, si DEBILES MONSTROSIQUE edni sunt, mergimus.* Debiles sunt ἀνάηγοι, monstrosi τέρατα. Ita Romulus, ita, ut verisimillimum, ipsi Decemviri. TACITI locus in suo de *Moribus Germanorum libello c. XIX.* est prorsus insignis, & plus habet in recessu, quam in fronte promittat. Instituta, pro more suo, utriusque Gentis, Germanicae & Romanae, comparatione, de Majoribus nostris: *Numerum, inquit, liberorum finire, aut quenquam ex adgnatis necare flagitium habetur, plusque ibi boni mores valent, quam alibi bonae leges.* Numerum liberorum finire est propudiosus actibus efficere, ne homo concipiatur, aut procurato abortu conceptum occupare, ne nascatur. Haec talia impune fiebant Romae; quod si infelix partus inter istas insidias elabebatur, adeoque finiti numeri liberis, vel uni, vel pari, vel tribus adhaescebatur, adhuc erat in parentum potestate, adgnatum (quati vocem adeo plane praeter rem sollicitat LIPSIVS) (cc) necare. Id non fiebat ibi, in Germania,

M 3

quod

pulam & non esse a manu SENECAE, sed intrusam ab eo, qui, claudi morbidis pecoribus istum animalium necandorum gregem, sibi primos persuasit, & portentosos fetus esse humanos, aliis quoque ista copula inserta persuadere voluit. Meris ἀνοιδέοις usus est noster ANNAEVS, transitum autem ab animalibus ad homines voeula quodque ampliandi vim habente satis indicavit. Malim etiam a vulgaris lectionis interpunctionisque defen-

fore edoceri, qua in re portentosus fetus humani a liberis monstrosis distent, & cur illos extingui, hos mergi fuerit vel moris vel necessitatis? De hoc etiam TERTULLIANVS: *Si quid & de genere nectis differt, utique crudelius in aqua spiritum extorquetis, aut frigori & fami & canibus exponitis.*

(cc) Saepius in nostris libris vox: *adgnatorum* in eo sensu occurrit, in quo hic eo utitur TACITVS. Ad damus nuper nobis observatam

L. 29.



quod optimi mores tale facinus flagitiis annumerarent: Idem licebat alibi, in progenie Romulidum vitiosiore, nec quicquam adversus tantam licentiam valebant bonae leges. Has, ut opinamur, recte interpretatur ΝΟΟΤΙΥΣ, dum ait: *aut enim me fallit conjectura, aut ad Leges Romuli & XII. Tabularum intendit: quas bonas vocat, non quod omnino essent tales, sed quod meliores essent moribus pessimis, post eas infecutis.* Et hanc interpretationem illustrare & firmare videtur vox: *quenquam*, a TACITO, verborum parcissimo, non temere usurpata. Permissum erat lege Romuli occidere τέγαρα καὶ ἀναπήγους, tales nempe iudicatos ex quinque vicinorum sententia. Cicero docet, infignes ad deformitatem pueros licuisse necari per XII. Tabulas. Seneca etiam ait, debiles & monstrosos mergi solitos. Apud Germanos *quenquam* ex adgnatis necari, etiam debilem monstrosūve, flagitium erat, atque ita plus valebant boni mores quorumcunque infantium caedem parentibus abscisse negantes, quam leges, cum partuum, ad quorum conspectum parentibus erat ingemiscendum, ut & ad nullam spem idoneorum necem ἐντρέϊς indulgentes, tum κατὰ τὴν δίκαιαν, omnem reliquorum infantium occisionem vetantes. Erant hac ratione leges Romanae in utramque partem, ut quidem visum est TACITO Viro Romano, bonae, mores tamen Germanorum meliores validioresque. Post has auctoritates Patrum Ecclesiae dictis nihil indigemus, quos acerbe insectatur Vir doctissimus diversum in hac

L. 29. §. 1. D. de Pignor. & Hypoth. quae haec est: Si mancipia in causam pignoris ceciderunt, ea quoque, quae ex his nata sunt, eodem jure habenda sunt. Quod tamen dixi-

mus, etiam adgnata teneri, sive specialiter de his convenerit, sive non, ita procedit, si dominium eorum ad eum pervenit, qui obligavit, vel heredem ejus.



hac quaestione tenens, & *sexcenta talia proferre se posse*, opinatur, *quae nisi venerandi Patres dixissent, ipse convicia de plastro esse, diceret.* Vehementius paulo in vitia Gentilitatis invecos esse Rei Christianae Antistites, non negaverimus; mentitos esse, eorum, qui imperabant, magistratusque gerebant, mores inter persecutionum discrimina, cum manifesto veritatis divinae coetusque fidelium periculo temere esse calumniatos, turpiter prodidisse suas intemperias, armasse in se hostes, ex infans infaniores studio fecisse, nobis nemo unquam persuadebit. Quare inter reliquos insignis est locus TERTULLIANI in *Apologético*, (d) quam orationem non equidem habitam, sed scriptam esse, Romam tamen mistam ad Romani Imperii Antistites, atque ita scriptam, ac si Orator verba ad populum faceret, ex multis ejus locis constat. Hic ille, postquam immolatos in sacris infantes gentibus exprobrasset: *Sed quoniam, inquit, de infanticidio nihil interest, sacro an arbitrio perpetretur, licet parricidium* (ad quod nempe noster Orator nunc ab humanis victimis digreditur) *homicidio intersit, convertar ad populum.* QUOT vultis EX HIS CIRCUMSTANTIIS, & in Christianorum sanguinem hiantibus, EX IPSIS ETIAM VOBIS *justissimis & severissimis praesidibus, apud conscientias pulsam, qui natos sibi liberos enecent?* Haec TERTULLIANVM ea tempestate, qua Severus Imperator in Christianos grassabatur, per convicium dixisse scripsisseve, tanti flagitii inculasse populum veluti adstantem, & ipsos Praesides, coram quibus dicere videbatur, scientem licet prudentemque, non hos, sed faciem populi, turbam sine nomine talia nonnunquam audere, esse ista mores & vitia seculi, in haec leges extare vindices,

(d) C. IX. p. m. 26.



dices, Judices officium suum facere, quis quaeso, ut serio credat, se unquam induci patietur. Num unus ille PHILONIS locus vel causam vel colorem istius immanitatis suppeditet, in medio relinquimus. Is in suo *de Vita Moſis libro (e)* omnino ex sui seculi sensu, (quis enim tam stulta & impia isti seculo, quo Moſes expositus est, gentive Abrahamidum adscribat) sed frigide admodum & inepte, ac si non latuisset se, quid in tanto casu Amramus Jochebedi in aurem dixerit, haec verba Moſis Parentibus tribuit: *Τί γάρ, ἑφ' αὐτῶν, ἐνδύς γεγόμενον οὐκ ἐξεδίκαμεν. πῶν μὴ φθάσαντα θεοῦς, ἡμέγων, μεταλαχέιν οὐδ' ἀνδρωπον οἱ πολλοὶ νομίζουσι.*  
*Quid enim, inquebant, causae fuit, cur recens natum non statim exposuerimus: talem, nondum affecutum, ut in nutrimentum per vices sortiatur, plerique neque hominem existimant.* Nos existimamus, hoc ipsum piis parentibus, quales etiam Moſi contigerant, nunquam potuisse perſuaderi; immo ne impiis quidem, probe gnaris, sui arbitrii rem amplius non esse, homo sit natus infans, an non sit; id in sua esse potestate, superſit homo, an non? Parentes infanticidae habebant causas veras sui facinoris, sed pudentas, colore, ut mox dicemus, indigebant nullo. Ipse doctissimus NOODTIVS huic colori non satis confusus videtur. Post locum enim PLVTARCHI, qui tamen, ut veterum Philosophorum incetas de homine, qui in ventre est, sententias exponens, ad praesentem causam nihil pertinet, ita pergit: *SED QVALISCVNQUE FVERIT EARATIO, placuit Populi Romani moribus adversus legem Romuli & duodecim tabularum parentibus jus esse, liberos*

(e) Debet NOODTIVS hunc locum suae editionis pag. 469. allegat, nos cum JAC. GOTHOFREDO, qui ad in ea, qua utimur, *Francosurtana* L. 1. C. Theod. ad L. Corn. de Sicar. anni 1691. p. 604. offendimus.



*sanguinolentos, si eis videretur, tollere: sin minus, exponere aut necare sine discrimine.* Fortius esse locutum clarissimum JCRUM, quam animus fuit, opinamur, dum jus dixit, quod fuit mera licentia, ex Jure tamen Quiritium oriunda. Jus erat cum Romuleum, tum Decemvirale, partus debiles & monstrosos posse extingui. Ne fraus fieret legi, Romulus quinque viros ex vicinia Parentibus dedit arbitros capitales. Sed & Decemviros simile quid imperasse, fatearis necesse est, nisi malis tantos Viros manifestae ineptiae reos peragere, & asseverare, legem duodecim discrimen necandorum severe injunxisse, omne autem illius discriminis arbitrium, illis ipsis & solis, quos sanctione poenali coercere erat animus, temere permisisse. Haec sapienter statuta everterunt pessimi Romuli Nepotes, postquam luxus & omnis vitiorum exercitus invasisent populum orbis terrarum principem. Nascebatur infans, sed invitis parentibus, quod iidem numerum liberorum finierant, aut alias non placebat tenellus: mergebant ipsi, ut Germani nostri loqui solent, *sie ertraenckten das Kind im ersten Bade*, non sane convocatis hominibus, quod leges volebant, sed intra domus suae, rei sanctae penetralia, aut exponebant, nec hoc ipsum cum pompa, sed clanculum, servuli alicujus ministerio adhibito, ut expositus & vernula videri posset. Non abs re TERTULLIANVS in loco supra allegato adstantes *apud conscientias se pulsare* dixit. Sed garrula fama parricidas indicabat, viri boni improbe factum judicabant. Quid incondita multitudo, οἱ πολλοί; Idem; quod PHILO: *infans matris uberibus admotus nequidem homo est.* At ipsi Parentes: *debilis erat, monstrosus erat.* Deerat infancilis sanguinis vindex, deerat non jus sed iusta probatio. Sed adhibendi erant testes. Faunorum,

N



rum, inquietabant, & Aboriginum temporibus hoc fuit servatum. Hanc parentum potestatem seculum vocabant. Quid IULIUS PAULVS istis suis verbis sane eximiis: *Necare videtur non tantum is, qui partum perfocat, sed & is, qui abjicit, & qui alimonia denegat, & is, qui publicis locis misericordiae causa exponit, quam ipse non habet*, sibi voluerit, qua occasione summus Vir ea scripserit, ut strenue ignoremus, effecerunt Pandectarum architecti. Ad L. Corneliam de Sicariis, aut L. Pompejam de parricidiis non respexisse, nec de publica disciplina, necisque vindicta cogitasse PAULVM innuere videtur locus isti fragmento in Pandectis assignatus, caput 4 Tituli de Agnoscendis & alendis liberis. Discrimen inter juris praecepta & inter juris regulas, cui exornando NOODTIUS suum *Julium Paulum* vel maxime conscripssisse videtur, est sat ingeniosum, & sane sunt Juris naturalis praecepta, quae Juris civilis regulis, utpote quae publicam fere tranquillitatem unice tuentur, non continentur. Vtrumque vero genus tractasse JCtos veteres, & ad illa praecepta pertinere PAULI caput, videtur incertum, immo improbabile. (f) Denique doctissimus NOODTIUS unice in suo argumento de Nece & Expositione partus substitit, nec de reliquo Parentum in liberos Vitae, necisque jure sententiam dixit.

IV. Longe aliam viam postea ingressus est Illustris, dum vivebat, supremae Hollandiae Zelandiae Frisiaeque Curiae Praeses, CORNELIVS VAN BYNCKERSHOECK, in suo de *Jure occidendi vendendi & exponendi liberos apud Veteres Romanos* libello, inter *Opuscula varii argumenti Lugduni Batav.* 1719. 4. primum edita tertio, eoque omnem Parentum in quosunque liberos de vita eorum statuendi potestatem

(f) Vid. BYNCKERSHOECK de *Jure occidendi liberos.* c. 3.



tem est complexus. Summa doctrinae Viri Summi in hac re haec est: „Fuisse Patribus Romanis jus domini in liberos. Eo jure adeo licuisse patribus omnia, etiam necare liberos, multo magis exponere & vendere, nec improbos tantum & male meritos, sed quoscunque, cujuscunque aetatis, & indolis, etiam bene meritissimos. Romulum, quod ad trimo minores attinet, tantae licentiae fortuna voluisse injicere lege lata, sed hanc posteriori aliqua ejusdem Regis lege esse abolitam, eaque omnem Patribus in liberos permissam potestatem. Non XII. Tabularum, non Corneliam de Sicariis, non Pompejam de parricidiis, non Juliam de Adulteriis Leges hanc imminuisse potestatem. Sub Imperatoribus autem cessasse *paedopostar*, temporibus Trajani, Adriani, Antonini Pii, reliquorum deinceps Principum. Vna ruina esse oppressos a Romuli usque temporibus & infantes & adultos; uno remedio & infantibus & adultis esse consultum, adeoque fallere & falli istos omnes, maxime autem clarissimum NOODTIUM, qui infantium caedem & expositionem vel Christianorum Principum temporibus inter licita fuisse contendat, & primum infantibus, illudque validissimum auxilium in Valentiniani Valentis & Gratiani A. A. A. legibus esse latum arbitentur. Haec sunt illa, quae Vir doctissimus multa cum eruditione nec minori ingenio tueri & stabilire est annisus, in qua doctrina, sicut ipse a non paucis clarissimis Viris dissenit, ita, si & nos in plerisque ab ejus discedemus sententia, non neglecta ea, quam tanto nomini debemus, reverentia, illud nobis, solo veritatis indagandae studio incensis, fraudi non fore confidimus.

V. Est autem inter ea, quae a nobis agenda sunt, primum, postquam GERHARDI NOODTI, de Nece & Expo-





sitione Partus supra sumus amplexi sententiam, ut videamus, num ab acutissimo BYNCKERSHOEKIO quicquam sit allatum, quod eandem evertat. Postquam monuisset, (g) aliquot cum nostrorum, tum aliorum hominum loca IACOBVM GOTHOFREDVM ad L. I. C. Theod. ad L. Corn. de Si-  
**I.** caris attulisse, ita pergit: *Sed si ipse non alia haberem, nec, quae ille habet, hic illic vindicanda essent ab injuriis quorundam & cavillis, ego nollem personam habere standi in hac lite.* FORTISSIMVM autem ejus rei ARGVMENTVM est, utique MIHI ESSE VIDETVR; quod pater Jure Pandectarum liberos & agnoscere & alere teneatur, non tantum liberos maturioris aetatis, de qua specie est L. 5. pr. & §. 1. D. de agnos. & alend. liberis, sed & ipsum parvum. Ita est. Fuit SCrum Plancianum, quo permittebatur mulieri, parentive, in cujus potestate est, si putet praegnatem, denunciare, intra dies triginta post divortium connumerandos, ipsi marito, vel parenti, in cujus potestate est; simul statuebatur poena, ut, nisi aut custodes praemiserit, aut contra denunciaverit, ex se non esse praegnatem, cogeretur maritus partem agnoscere, & si non agnovisset, extra ordinem coerebatur. L. 1. pr. & §. 1. & §. 4. j. §. 10. D. de agnos. & alend. liberis. Quia autem Plancianum SCrum ad eos pertinerebat, qui post divortium eduntur, aliud SCrum temporibus D. Hadriani factum est, ut etiam si constante matrimonio partus sit editus, viro puta absente, aut uxore ex quacunque causa ventrem celante, de agnosendo eo agatur. Non latuerunt haec SCra clarissimum NOODTIVM, qui iisdem in Julio Paulo integrum caput tertium dedit, atque ita respondit dubiis inde natis, ut ne ipse quidem BYNCKERSHOEKIVS habeat, quod in NOODTIANA explicat.

(g) de Jure occidendi lib. C. VII.



plicatione desideret. Satis, inquit, intelligo, illa remedia fuisse civilia, nec nisi de Praetore accipi posse, quod de coercitione extra ordinem ait d. L. 1. §. 4. Et satis intelligo, plurimum interesse inter remedia praetoria & vindictam publicae disciplinae. Ita videbatur his haec composita. NOODTIUS tenebat SCta, Plancianum & alterum, tempore posterus & Hadriani aetate factum, de vindicta publica non loqui: BYNCKERSHOEKIUS, vera dixisse NOODTIUM, non abnucebat. At idem illud neutiquam visum BYNCKERSHOEKIO, qui potius nunc novam suae opinionis arcem in hunc modum extruit: *Sed scire velim, eccur patri educationis necessitas fuerit imposita, si ipsi, jure patriae potestatis partum necare vel exponere fuisset liberum. Si, inquam, ita juris fuisset, scire velim, quamobrem pater ad denunciationem mulieris, non potuisset respondere, paratum se esse vel necare partum vel exponere. Quo facto constaret, omnem sollicitudinem de alimentis, de praegnanate muliere, de custodibus, & quae porro ejus argumenti sunt, esse oppido supervacaneam.* Non poterat non hujus consequentiae neryus BYNCKERSHOEKIO videri longe fortissimus, postquam idem dudum & *negro Jevdei* in animum induxerat suum, habuisse ante Trajani tempora Patres merum & liberrium liberos quoscunque occidendi jus, licitam & jure veluti publico subnixam fuisse *paudo Polav*, impune, & palam, in publico forte, potuisse mactari recens natos, infantes, adultos, non debiles tantum aut monstrosos, sed integros, valentes, meritos male, male non meritos. Qui a tam truculenta sententia absunt, & nobiscum tenent, patribus jure propitio non licuisse, nisi debiles & monstrosos, mergere vel exponere, in adultos non nisi merentes & judiciali ordine servato animadvertere, facile intelligent, omnem





omnem illum nervum sua sponte flaccescere & concidere. Mater eiecta domo se praegnantem sentit: ut & alendi onere se exfolveret, & suae etiam pietati, simul partus innocentis saluti rite consulere, ad SCtum Plancianum confugit. Hoc cavebatur, ut *& agnosceret Pater & aleret*. Quis magistratum tulisset patrem SCri sententiam dolo malo dividentem: *Agnoscam, sed necabo*, nec debilem nec monstrosum? Pater, ut in longinquis veterum peregrinationibus saepe solebat accidere, diu absuit domo, post discessum mariti uxor se animadvertit esse gravidam, & tandem enititur, pulcrumque partum & valentem amat & alit. Pater reversus cum de partu dubitat, tum novum familiae onus averfatur. Quid mulier? altero SCto utitur, ut constante matrimonio editum parvum pater *& agnoscat & alat*. Ille, *agnoscam*, inquit, *sed necabo*, vel meum: oneri enim mihi est, vel alienum: adulterinum aut subditium, majori jure & vindicta justissima. Addamus aliud exemplum simile illi, quod APVLEIVS (b) narrat, cujus & verbis ex parte utemur: Pater peregre proficiscens mandat uxori suae, quod sarcina praegnationis oneratam eam relinquere, ut, si sexus sequioris edidisset foetum, protinus, quod esset editum, necaretur. At illa, per absentiam mariti nata puella, insita matri pietate praeventa, descendit ab obsequio mariti, eamque prodit vicinis alumnandam. Eadem postea, divortium vel passa, vel passura, aut factura, SCto adversus maritum utitur, ut pulcre adolescentem filiam *& agnoscat & alat*. Pater, *agnoscam*, inquit, *at necabo*, & quod jure patriae potestatis olim jussi, nunc domini jure exsequar ipse. Non urgebimus patrem, nisi credidisset, esse sibi rem tam tristem jubendi potestatem, sed & uxorem

in

(b) Lib. X. Metamorph. pag. edit. in V. Delphini 337.



in iis sibi debere obsequium, non matri vel tacenti, vel obsequium simulanti, sed aliis rem tam gravem fuisse mandaturum. Senatus consulto certe, ad quod matrem postea confugisse nos facimus, non potuisse fieri fraudem, omnium autem minime tam saevam & immānem, sumus persuasivissimi. Haec autem omnia nihil verare videntur, quo minus teneamus, patres, quibus fuerunt uxores, vel ob morum similitudinem, vel majoris incommodi vitandi causa, & vel ob divortii metum, obsequentes, non jure, quod unice de debilibus & monstris loquebatur, sed juris illius licentia, abusu, colore infantes recens natos, nec dubios, adeoque nec ulla ratione agnoscendos, non aluisse aliquando, sed necesse scientes prudentesque, aut exposuisse, disciplina publica inter pravos hominum mores quiescente. Atque ita fortissimo isti argumento credimus esse factum satis. Porro IACOBVS GÖTHOFREDVS, sententiae, quae BYNCKERSHOEKII est, olim & ipse Patronus, ad L. 2. C. Theod. de liberali causa, de jure occidendi liberos. *A quo, inquit, & quando sublatum? ambigitur: Certe Paulus quoque meminuit hujus juris verum tanquam aboliti: quod & occidere LICEBAT L. ii. fin. D. de liber. & postum.* Non admodum usus est BYNCKERSHOEKIVS hoc textu adversus NOODTIVM in ipso de *Jure occidendi liberos libello*, quod ab aliis non dicta afferre mallet. In *Curis autem secundis ad §. XXII. Amicae Responſionis Noodtiana*e non neglexit auctoritatem IACOBI GÖTHOFREDI, & quantum ipse huic rei confusus sit, majoribus literis, quibus illam integram sententiam: **QVOD ET OCCIDERE LICEBAT**, signavit, haud obscure indicavit. Verba PAULI sunt: *Itaque post mortem patris non hereditatem percipere videntur (sui heredes) sed magis liberam bonorum administrationem*

con-



consequuntur: hac ex causa, licet non sint heredes instituti, domini sunt; nec obstat, quod licet eos exheredare, quod & occidere licebat. Primum ad hunc locum aliqua potest exoriri dubitatio, num PAVLVS ita, ut in digestis legitur, scripsit? Quid si quis sibi persuadeat, JCTi vocem non fuisse: LICEBAT, sed liceat? Sane in hunc modum JCTi argumentum: licetne exheredare bonorum jam dominos? quid ni? licet & occidere; fortius stringere in aprico est, obviamque iri invertenti consequentiam: Non licet amplius occidere: forte & non licet amplius exheredare. Infinita prostant exempla librorum, ubi iidem litera vel demta vel addita verborum & tempora & modos immutant, aut, si hos ab oscitantiae vitio hic malis absolvere, quid planius fuit ipsi Pandectarum in hoc loco compilatori; PAVLI verba unius literae insertionem in Iustiniani seculi sententiam inflectere? Iam si quis speretis his coniecturis omnia vocis: *licebat*, elementa mordicus tenere malit, non multum adversabimur, & vocem: *licebat*, commoda admodum interpretatione ad ipsos illos, de quibus sermonem facit JCTus, exheredatos, & ad potestatem, quae parentibus olim, cum nascerentur, ex pravis moribus in eos competierat, haud difficulter referemus. De exheredatis est sermo, quos idem ille PAVLVS alibi, (i) nisi meritis de causis summo veri a successione non posse, docet: ex causis autem non merentur exheredationem, nisi adulti. Hos nisi pariter ex meritis causis occidere non licebat patribus. Quando itaque de mera occidendi liberos potestate aliquid addit JCTus, merito illam in praeteritum tempus, in prima vitae initia rejicit, quae interpretatio eo habenda est speciosior, quod per eam adhuc consequentiae suum constare videat-

(i) L. 7. pr. D. de Bonis damnator.



videatur robur. Filius: *dominus sum bonorum, qui isto meo dominio invitum excuis, o Pater, & exheredas?* Hic: *Ea qua te recens natum etiam occidere poteram. Licet exheredare, nam & occidere licebat.* Quod si quis nec haec agnoscere velit, ad NOODTIVM eum ablegamus, qui in Commentario ad Digesta: (k) VLPIANO, inquit, *junxi Paulum, quia ab eo allegari Alexandrum liquet, L. 87. §. 2. D. de Legat. 2. & L. 25. D. de Appellat: neque a me impetro, ne credam sic ad liquidum admoveri haec ejus verba, quae sunt in L. 11. D. de liber. & postum. Nam occidere licebat ante Alexandri Rescriptum: post non licebat.* Nos adeo non constringent hujus legis vincula, quod ex iis vel triplici via datur elabi. PAVLI JCTi latus claudat CONSTANTINVS Imperator, III. qui in L. 11. de his qui parentes vel liberos occiderunt: *Si quis, inquit, parentis, aut filii, aut omnino affectionis eius, quae nuncupatione parricidii continetur, fata properavit, sive clam sive palam id enisus fuerit, poena parricidii puniatur.* Ad haec BYNCKERSHOEKIVS: (l) *Qui filium dicit, ut dixit Constantinus, omnem cujuscunque aetatis dicit, nisi sit, qui exceptionem probet.* Dubium tamen videri potest, num illa assertio: *qui filium dicit, omnem cujuscunque aetatis dicit, sit usque quaque vera.* MODESTINVS in L. 1. D. de Adoptionibus ait: *filios familias non solum naturam, sed & adoptiones facere, adoptarique filios familias, arrogari, qui sui juris sunt.* An itaque cujuscunque aetatis? non dixerimus. In arrogatione rogandus est is, qui adoptatur, an id fieri patiat, L. 2. D. eod. in adoptando ipsius etiam arbitrium spectandum, vel consentiendo vel non contradicendo.

(k) *Ad Tit. de Her. qui sunt sui vel alieni juris. Operum Tomo II, pag. 25.*

(l) *de Fure occidendi lib. C. 7.*





do. Infantis sanguinolenti non potest esse ulla rogatio, ul-  
 lum arbitrium, ideoque MODESTINVS filios familias di-  
 cens, non dixit cujuscunque aetatis. Sed & exceptionis  
 probandae subeamus, si prius monuerimus, nos, cum opti-  
 ma fide & uno veri studio ductos hoc conari; quod in iis,  
 quae nos tenemus, plane perinde sit, siue a CONSTAN-  
 TINO, siue etiam a VALENTINIANO dicas neci & expo-  
 sitioni infantum esse remedium quaesitum: tum probatio-  
 nes sole meridiano clariores in re tam antiqua & dubia neu-  
 tiquam spondere, suffesturumque nobis, si in veritatis li-  
 bra, qua haec expendimus, illa lanx, quae nostram sen-  
 tentiam capit, vel tantillum propendat. Iam autem legis-  
 latoriae prudentiae non satis convenire videtur, rem tot  
 feculorum licentia patriam potestatem mentientem, cui  
 hactenus, fatente BYNCKERSHOEKIO (m) nulla legibus  
 poena erat statuta, non levi, sed diro Legis Pompejæ sup-  
 plicio mancipare, & tamen in eadem lege, una eaque am-  
 bigua voce: *fili*, rem tantam designare, cum foret facilli-  
 mum, excepturis: uti non Pater potest occidi nisi adultus,  
 ita nec de filio sensisse legem nisi adulto, uno alterove ver-  
 bulo: *cujuscunque ex liberis, filii, etiam recens nati, nuper  
 editi*, occurrere. Necare visus est PAVLO, qui alienae  
 misericordiae partum exponit, & recte. Sed talis necis  
 reus pater se filii fata properasse negabit, quin immo id  
 quod exposito partui praeter suam spem sinistre accidit,  
 non sibi, sed fato imputandum esse, contendet. Erat ita-  
 que & haec ambiguitas a legislatore nocentibus eximen-  
 da. Immo *properare fata*, aut, ut in Codice Theodosiano  
 est, *in fata properare* videntur tantum illi, qui pulcre jam  
 decurrentia vitae itamina filii dudum agniti, diu aliti edu-  
 cati-

(m) de Jure occidendi liber. C. 7.



catique aliquo facinore abrumpunt; non potest illud aequè commode dici de iis, quibus idem est & vitae ortus & exitus, qui fere nec vixisse, nec fuisse videntur. Est in Codice Theodosiano *L. 1. de alimentis, quae inopes parentes de publico petere debent*, ejusdem CONSTANTINI, quam ipse appellat *Legem, quae parentum manus a parricidio arceat, votumque vertat in melius*. Ad dictionem: *votum*, incomparabilis ille veterum Constitutionum Sospitator, IACOBVS GOTHOFREDVS, notat: *An destinatum parricidium? an potius votum, quod parentes habuerunt de liberis suscipiendis*, quorum tamen hic neutrum placet. Prius ipse GOTHOFREDVS mittere videtur, & sane indignum foret, rem immanem tam mihi voti nomine velare. Sed nec votum de suscipiendis liberis tribui potest parentibus, qui vel de ventre ipso parricidalia consilia agitant. Votum ejusmodi parentum est, ut onere alendi se exsolvant. Hoc votum ad parridium olim ducens nunc parentes vertere poterant in melius, postquam hac lege Imperator & in alimenta & in vestem impertiendam, cum fiscum suum tum rem privatam indiscreta jusserat praebere obsequia. Haec Imperator constituit Anno seculi post Christum natum quarti quinto decimo. Vnde autem eidem Imperatori post quadriennium ista severitas, ut lata *L. 1. Cod. Theod. de parricidio*, quae est illa Codicis Justiniani, *de his qui parentes vel liberos occiderunt, unica*, & quam tractamus, parentes votum in melius non vertentes dirae Legis Pompejae supplicio subiceret? Num ante quadriennium ignorabat, talem posse a se condi legem, quae longe fortius parentum manus a parricidio arceret? Forte causaberis, Imperatorem, quod sua se indulgentia nihil profecisse animadverteret, ad durissima illa statuenda fuisse perpulsium. Sed ita





in factō ponitur, quod minus verisimile est. Dubium non est, votum illud avertendi a se alendi onus fuisse in fece Romuli causam parricidiorum praecipuam & frequentissimam, & cum, ut opinamur, nihil afferri possit, cur ejusmodi parentes noluerint illud votum vertere in melius, sua sponte sequitur, post illud pietatis Augustae auxilium parricidia non fuisse aucta, sed imminuta. Sed fac, rem aliter evenisse ac suspicamur; tunc equidem decebat **CONSTANTINVM**, ut legislatorem jure multitudini iratum, clarissimis indicare verbis, prioris indulgentiae in tantum rigorem abeuntis idoneam sibi esse causam, recens natorum se vel maxime hic consultum velle saluti, pristinam ideo non cessare liberalitatem, & ob eam rem se nunc tale auxilium neglecturos, vel aliis de causis pessimis, cum suos necaturos infantes, tum privatae misericordiae exposituros, justissima lege ad culleum damnare. His omnibus clare edicendis a **CONSTANTINO** una: *filii*, voce fuisse satisfactum, quis sibi persuaderi patietur? Hanc legem **CONSTANTINVS** Imperator tulit Anno Christi **CCCXVIII**. Anno ejusdem seculi **XXII**. rursus Constitutionem edidit, quod Provinciales egestate victus atque alimoniae inopia laborantes liberos suos vendere vel oppignorare cognovisset, & Praefules, Praefides, Rationalesque per universam Africam stipem necessariam largiri atque ex horreis substantiam tribuere competentem iussit. In fine legis quae est **2. C. Theod. de alim. quae inopes parentes de publico petere debent**, haec addit: *Abhorret enim a moribus nostris, ut quemquam fame confici, vel ad indignum facinus prorumpere concedamus.* Forte erunt, qui indignum facinus ipsam liberorum venditionem vel oppignorationem interpretabuntur. Nobis aliter videtur. Itas venditiones & oppignorationes ipse Impera-

pera-



perator paulo ante veriori vocabulo *parentum calamitatem* appellat: atque adeo indignum facinus rem longe gravio- rem designat, maxime quod legislator in his verbis a libe- ris fame enecatis ad indignum facinus, ipsa nempe fame per- euntium nece indignius veluti ascendat, quod sane aliud esse non potest, quam si parentes recens natis parricidia- les manus ipsi inferunt. Ita etiam visum IACOBO GO- THOFREDO ad *L. 1. Cod. Theod.* Iam quis haec nobis conciliabit, Imperatorem in quoscunque parricidas poe- nam cullei statuentem, & Eundem post annos tres ajen- tem, a moribus suis abhorrere, ut quemquam fame con- fici vel ad indignum facinus prorumpere, absque auxilio principali concedat. Si suam hic praedicat pietatem Au- gustus, commodissimus erat locus monendi, parentes, qui post tantam pietatem, depulsamque etiam vendendi & op- pignorandi necessitatem impii & parricidae reperti fuerint, jam constitutam cullei poenam non esse evasuros. Denique & ipsa VALENTINIANI VALENTIS & GRATIANI A. A. A. lex nostrae sententiae suppetias ferre videtur, quae in Co- dice Theodosiano ad *L. Cornel. de Sicariis* ita se habet: *Si quis necandi infantis piaculum adgressus adgressus sit, erit capitale istud malum.* ERIT, inquit A. A. A. Non itaque fuit ex lege Constantini. ERIT CAPITALE, idem ajunt IMPP. at non omne capitale malum meretur cullei poenam, ut constituisse ab aliis dicitur CONSTANTINVS. Scilicet iudicis arbitrio in hoc ipso crimine ob summam cir- cumstantiarum diversitatem aliquid dedisse videntur isti Principes, ut idem pro religione sua infantis occisorem vel capitali supplicio puniat, ut Iustiniani Codicis archi- tecti scripserunt, vel deportationis aut metalli poenam ei irroget, qualia iudicia publica etiam fuisse capitalia, vel §. 2.

O 3 *Instit.*





*Instit. de Public. Judic.* edocemur. Et haec sunt illa, quae nos BYNCKERSHOEKII sententiam de sensu legis Constantini amplecti verant, & in uniuersum in NOODTII opinione in *Julio Paulo* exposita persistere nobis persuadent, maxime cum & locus a probabili desumptus, quem BYNCKERSHOEKIVS in ipsis *Curis secundis* (n) adversus NOODTIUM tueri est conatus, nobis videatur minus probabilis. Verba Nostri sunt: *Cum alia aetas alios mores postulet, quidni liceat dicere, verisimile non esse, Romanos, ex quo rudes & saevos mores plane deposuerant, adhuc impune contra liberos saevisse, interdicta etiam tunc adversus servos saevitia? Si unquam Quirites rudes & saevos mores plane deposuerunt, id sane fuit in illa aurea Augusti aetate ab iis factum, quo principe Res Romana ad summum humanitatis, elegantiae, literarum, eloquentiae, splendorisque culmen pervenerat. In hac tamen aetate, sub his moribus saluum & integrum fuisse patribus vetus potestatis jus, cum frequentia iudiciorum domesticorum sub Augusto exercitorum exemplarum Senecae sub Nerone scribentis verba satis confirmant: Debiles, inquit, monstruososque mergimus; non ait, nonnullos ex vulgo id facere invitis legibus, sed, mergimus, inquit, eaque voce, qua se includit ipsum, luculenter indicat, se quoque, tantum Philosophum, si res ita tulisset, idem facturum iusturumve. Ab interdicta adversus servos saevitia non procedere argumentum ad imminutum patriae potestatis jus, infra erit commodior demonstrandi locus. Pergit BYNCKERSHOEKIVS: Verisimile non esse, hanc impietatem, haec homicidia sine poena transmisisse Principes, re ac nomine Pios & Philosophos. Nolumus in consequentia, quae fere sua sponte cadit, refellenda esse prolix.*

(n) *Ad Amicae Responsonis* ff. 2. n. 2.



lix. Titi Vespasiani aevo nondum sublata erat *παιδοφονία*, vel auctore BYNCKERSHOECKIO. At enim vero ille & fuit, & appellatus est *amor & deliciae generis humani*; quis autem dixerit, vel ex hoc uno nomine veritabile fieri, Imperatorem infanticidiis remedium quaesivisse, quoniam & infantes sunt insignis generis humani portio. Miror BYNCKERSHOECKIUM *Optimum Principem* neglexisse, cum idem asserat, *παιδοφονίαν* a temporibus Trajani cessasse. Tertium a verisimili argumentum est, *non verisimile esse, ad haec aliquandiu convivisse ipsos principes, Sacris Christianis imbutos*. Ne nimii simus, non inquiremus in Constantini M. & liberorum vitam, mores, & pietatem. Fuerunt forte Christiani sententia, sed valde ignava opera. Iulianus enim huc non pertinet, post quem & Iovinianum, brevis aevi Principem, Valentinianus imperavit. Satis erit, si observaverimus, duplex fuisse ista aetate hominum in Orbe Romano genus, alterum Christianorum, alterum Gentilium. Illi lege de infantum homicidiis non patrandis nihil indigebant, quod inter eos quaecunque homicidia vel spectare haberetur nefas. Hi tot aliis vitiis erant immersi, ut una ea omnia recidere falce nec vacaret, nec consultum esset. Leni tamen remedio usus est Constantinus, acriori Valentinianus, quod in hac quaestione sufficere posse opinamur.

VI. His expeditis nunc ad alterum caput nostrarum meditationum deveniendum est, dispiciendumque, num BYNCKERSHOECKII Nostri sententia: *παιδοφονίαν omnem, maxime adultorum, a temporibus Trajani apud Romanos cessasse*, iis sit suffulta vel auctoritatibus vel rationibus, ut assensum nobis extorqueat. *Ordinar*, inquit, *(o) à Trajano, & quae-*

(o) *De Jure occidendi liberos. C. IV.*





quaero, an non jus illud vitae & necis evertat, quod ille coegit, patrem emancipare filium, inclementius habitum? Ita mihi videtur. Nobis videtur secus Fundamentum hujus consequentiae est in *L. 5. seu ult. D. si quis a parente manumissus*, ubi PAPINIANVS, Divus inquit, Trajanus, filium, quem pater male contra pietatem afficiebat, coegit emancipare, quo postea defuncto pater, ut manumissor, bonorum possessionem sibi competere dicebat: sed consilio Neratii Prisci & Aristonis ei propter necessitatem solvendae pietatis denegata est. Hujus loci vix est disquirere, num pietatis, ut legitur, legendum sit, quod asserit BYNCKERSHOEKIUS, an potestatis, ut volebat HOTMANNVS & PETRVS FABER a BYNCKERSHOEKIO allegati, & ejusdem sententiae Patronus RAD. FORNERIVS III. *Rerum Quotid. 26.* Si tamen in transitu dicendum est, quid de voce dubia sentiamus, amamus omnino & nos in emendandis legibus modestiam, nec facile accusationes librariorum, ut hic, quod, neglecto scripturae compendio ejusque indice temone, ex *patis*, ut vult P. FABER, ex *potatis* (*p*) ut habet FORNERIVS, ut verisimilius foret, ex *ptatis*, pietatis fecerint, admittimus, hic equidem ex hac singulari ratione, quod vocem: *pietatis*, etiam Florentinae Pandectae exhibent, quas, ut absque omni literarum compendio scriptas, etiam ex codice ejusdem integritatis descriptas esse, credibile est. Potuisse nihilominus fieri, ut librarius vocem *potestatis*, cum voce: *pietatis*, cujus recens ei ex primis legis nostrae verbis erat memoria, confuderit, eo facilius, ut suspicemur, inducimur, quod idem ipsa res flagitare videatur. In emancipationem

(*p*) Confer, si lubet, & repete, quae ad Caput I. nota (*a*) observavimus.



tionem solvendae pietatis necessitas incidit. Sed quae illa pietas? an patris? at hic eam dudum solverat sua inclementia. An vero filii? haec autem nulla emancipatione solvitur. Si itaque in emancipationis momento nulla fuit pietas, quae potuerit solvi, manifestum est, non posse dici, adfuisse ejus solvendae necessitatem. De cetero, si omnes illius facti teneremus circumstantias, rectius forte de eo judicare daretur. Quid si conjicias, Trajano simul fuisse relatum, filium probabiliter ex ista Patris asperitate, esse ante diem mortuum? Movisset hoc vel maxime, & forte NERATIVUS & ARISTO id sub necessitate solvendae potestatis sunt complexi. Sanè durius videtur absque tali conjectura cum ICTORUM consilium, tum Imperatoris decretum. Peccarat ut Pater. Erepta est invito omnis in filium potestas. Videbatur hoc meruisse. Nihil peccarat, ut Manumissor, ut Patronus. Et poenam tamen subiit negatae bonorum possessionis, jure vix annuente, nisi suspiceris, Patrem fara filii sua inclementia visum, esse properasse. Sed & ipse Imperator num patrem filium contra pietatem male adficiendum reapse punivit? Minime vero. Vt ne patrio jure amplius abuteretur, ne ob imploratum vel a filio, vel a necessariis Principale auxilium adhuc durius istum haberet, ne forte occideret, privilegio suo efficere est annisus. Quis, non licuisse occidere, inde colligat? Trajano in imperio successit Hadrianus, *sub quo liberos trucidandi potestatem jam cessasse inde BYNCKERSHOEKIO fit probabile, quod Adrianus ne quidem in servos dominis saevire permisit.* Patitur, immo flagitare viderur hic locus, ut etiam de dominica in servos potestate, quatenus fuit Juris Romani Quiritium, nostram aperiamus sententiam. Multum interfuit inter potestatem in liberos, & dominium in servos. Do-

P

minus





minus imperabat iusta, iniusta, aequa, iniqua. Nullum seruo adversus ista, nisi in una parendi cura, auxilium. Alia omnia in liberis suadebat pietas, duritiemque minuebant liberorum supplicationes; maternae intercessionis, necessariorum commotiones, quibus omnibus servile genus destituebatur. Servi rerum loco erant, emebantur, vendebantur, oppignorabantur, deponebantur, donabantur, dabantur in dotem, legabantur. Similia in liberis exempla omnis ignorat veritas. Servus res a se acquisitas ne per momentum quidem temporis faciebat suas. Nullus erat, & domino acquirebat. Filius non rerum a se acquisitarum tantum, sed paternarum quoque omnium in ipso nativitatis momento sui heredis jure fiebat herus & dominus. Quod autem ad vitae necisque jus attinet, nihil inter utrumque & servum & filium, si nos audias, fuit discriminis. Uterque iudicio domestico etiam capitali suberat, sed non nisi ex meritis causis, & naturali iudicii ordine servato. Vos itaque, inquiet non nemo, existimatis, nullum servum Romae absque causa, absque iudicii ordine a domino esse occisum? Immo vero & hoc, & forte liberos a patribus ita occisos, sed injuria, tibi damus. Tu vero vicissim probe teneas discrimen certissimum inter jus verum, & vetus, & naturale, & ex illo jure ortam licentiam. Illud unquam per Jus Quiritium esse commutatum in arbitrariam *δουλοφωσίαν*, ut rem facti, probabis: Hoc HISPO ROMANVS, (q) a  
BYN-

(q) Apud SENECAM Rhetorem, non ut in utraque Editione, Belgica & Germanica, legitur: Libro X. Controv. 4. sed Libro V. seu controversia 34. ejus verba haec sunt:

*Pictor intra officinam suam clausus, qui haec tantum vulgaria jura novit, in servum nihil non domino licere, pictori nihil non pingere, mancipium suum operi suo impendit.*

Sci-



BYNCKERSHOEKIO in testimonium evocatus, sed Rhetor, & in graeca fabula, appellat *Jura vulgaria*, hoc est, in vulgi cerebro nata. Plane aliter IUVENALIS, & prorsus in rem nostram, si non paucis ejus verbis utimur, ut fecit BYNCKERSHOEKIVS, sed locum integram inspiciamus, qui talis est: (r)

*Pone crucem servo. Meruit quo crimine servus*

*Supplicium? Quis testis adest? quis detulit? audi.*

*Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa est.*

En! Jns verum & vetus & omnem judicii ordigem: Non nisi ex *meritis* causis supplicium etiam in servos statuendum esse: *Delatorem* seu accusatorem debere adesse: *Testem* requiri: *Audiendum* esse: & quem nisi servum objecta pro viribus diluentem? Auditis omnibus, non nisi cunctanter & deliberatissimo animo esse pronunciandum. Haec tu putas requisivisse Saryricum, si ab omnium temporum usu fuissent remotissima? Addit idem in seculi sui vitia inventus *jura vulgaria*, his verbis, quorum sex priora BYNCKERSHOEKIVS in rem suam vertit:

*O! demens, ita servus homo est? nil fecerit. Esto.*

*Hoc volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.*

In hunc modum servulos suos sub libera republica occidebant domini, non sane pauperes & abjecti, quibus unus alterve servulus opes erant, quorum plures aliquando unus

P 2

fer-

Scilicet Parrhasius, Pictor Atheniensis, dicitur Olynthium captivum senem torfisse, & ad exemplar ejus Prometheum pinxisse: senem vero illum in tormentis expirasse. *Hic pro adeo sub illis verbis, in servos nihil non domino licere, ne qui-*

dem jus occidendi, sed jus, ut porro ait, suum mancipium operi suo impendendi complexus est; Parrhasius etiam non homicidii, sed republicae laesae est accusatus.

(r) *Satyra VI, v. 215. seq.*



fervus alebat, sed opulenti, nobiles, potentes, qui in tanta fervorum copia, ut exercitus aliquando speciem praeberent, in tanta inter suos cives gratia & potentia, aliquot fervorum jacturam faciebant nihili, & sui similibus similia facinora facile condonabant, & inter tot scelestos aliqua severitate opus esse, contendebant, & omnem servilis sanguinis vindicem, si unquam talis fuit repertus, facile sua auctoritate opprimebant, donec cum principatu, & ex ipso principatu, ut verissimum habemus, novum servis affulgeret auxilium. Sane Principum Romanorum omnium primus suam mentem in Vedio Pollione satis declaravit, quod ipsum exemplum, a SENECA (s) nobis servatum, non negle-

(s) *Lib. III. de Ira Cap. 40. Verba sunt: Cum Augustus coenaret apud Vedium Pollionem, fregerat unus ex servis ejus crystallinum. Rapi eum Vedius jussit, nec vulgari quidem periturum morte: muraenis obijci jubebatur, quas ingentes in piscina continebat. Evasis e manibus puer & confugit ad Caesaris pedes, nihil aliud petiturus, quam ut aliter periret, nec esca fieret. Motus est novitate crudelitatis Caesar, & illum quidem mitti, crystallina autem omnia coram se frangi jussit, completrique piscinam. Lubenter legerem: illum quidem manu mitti. Si enim mittere, idem est, ac dimittere prehensum, isto jussu nihil erat opus: evaserat enim jam e manibus, & erat ad Caesaris pedes. Si mitti*

idem valere debet ac poenae & supplicii metu liberari, valde vereor ne hoc non Latinum sit. Sed fac, esse locutionem hanc latinam, non satis consultum videbatur puero, dominum porro habituro eundem, & suorum crystallinorum, muraenarum, piscinae, rerum pretiosissimarum & sumtuosissimarum certissimum ultorem. Et sane ad horum aestimationem res erat vilis, poenae caput leve, unius servuli in tantum metum conjecti imperata manumissio. At in Critico Senatu absque MSSorum praesidio talia moliri non licet. Ita est. His careo, & post LIPSII & GRONOVII diligentiam de tali lectione despero. Libebit tamen conicere, Librarium veterem, illis Florentinis similem, scri-



neglexit BYNCKER SHOEKIVS, sed gemina ratione enervare est annisus: *Senecam ei, quod tunc juris fuerit, juri nempe occidendi servos, non contradixisse: ipsum etiam Augustum non nisi motum, teste Seneca, novitate crudelitatis servum servasse.* Quod ad prius attinet, observemus, SENECA *isto in loco non Jurum sed Philosophum egisse.* Inter ista philosophica placita de Ira, idem recte monet, ne quis castiget irascentem, & ultro obirascatur, hoc enim esse incitare, nisi forte tanta persona sit, ut possit iram comminuere, quemadmodum fecerit Augustus. Quis hic expectabit sententiam SENECAE: jure an injuria domini ista tempestate suos occiderint servos? Ad alterum notes, si id disertis verbis & unice dixisset Augustus, quod SENECA narrat, *motum se esse novitate crudelitatis*, tamen hunc esse ipsorum legislatorum morem solennem, ut causam unam eamque sat gravem suis edictis inferant, plures animo fervent, & tamen omnes & aliquando has, quarum non meminerunt, vel maxime sequantur. Sane ipse SENECA in fine capituli plures cumulat causas: prima est: *E convivio rapti homines imperas?* Indignum videbatur, nihil a Pollione datum esse in praesentia tanti hospitis convivialis laetitiae. *Et novi generis poenis lancinari?* Hac novitate motum Augustum, vel ipse vel SENECA supra dixerat. *Si calix tuus fractus est, viscera hominis distabentur?* Emendationem merebatur istud damnum, non ultimum supplicium & tam crudele. *Tantum tibi placebis, ut ibi aliquem duci*

P 3

scripsisse aliquando: *quid emanumitti*, si TAVRELLII nostri placet inventum: *quid e Manumitti*. Postea alium librarium legisse scripsisseque totidem litteris: *quid emanumitti*,

& tandem correctorem, geminationis literae *m* negligentem nescientemve, intempestivam illam *anum* e contextu expulisse.



*duci jubeas, ubi Caesar est?* En! causam omnium praecipuam, sive id dixerit Augustus, sive non dixerit, & quam **SENECA**, ut fortissimam, viderur ultimo servasse loco. Qui haec a nobis indicata nondum capit, nae, ille rectius ab omni in hac quaestione arbitrio abstinabit. Augusti Exemplum sunt secuti alii principes. Claudius, teste **SVE-  
TONIO**, (t) aegra & affecta mancipia, in insulam Aesculapii taedio medendi exposita, libera esse sanxit, nec redire in ditionem domini, si convaluissent, quod si quis necare mallet, quam exponere, caedis crimine teneri. Sub Nerone Lex Petronia facta, sed &, teste **MODESTINO**, (u) **SC**ta ad eam legem pertinuerunt, quibus dominis potestas ablata est, ad bestias depugnandas suo arbitrio servos tradere. Immo **SENECA** eorundem temporum scriptor, de injuriis, ait, (v) dominorum in servos, qui audiat, positum esse, qui & saevitiam & libidinem & in praebendis ad visum necessariis avaritiam compescat. Denique & **Adrianus** teste **SPARTANO** (w) servos a dominis occidi vetuit, eosque jussit damnari per judices, si digni essent? Ad hunc tandem locum **BYNCKERSHOEKIUS**: *Quis nunc credat, Patribus sub Adriano plus juris fuisse reliquum in liberos, in cives Romanos, quam dominis in servos, in vilia capita?* Omnes illi, respondemus, & nos cum ipsis, hoc credent, qui persuasi sunt, frequentissima & dirissima passim extitisse exempla, dominorum cum magnae potentiae, tum impotentis animi, promiscue in servos, in vilia capita saevientium; patrum in cives Romanos, in suos liberos, simili ratione

(t) *In Vita c. 25.* Adde **DIONEM CASSIUM** Libro LX. p. m. 685.

(u) *In L. XI. §. 2. D. ad L. Cornel. de Sicar.*

(v) *III. de Benefic. 22.*

(w) *in Vita Cap. 28.*



tionē grassantium rarissima, & sub Adriano forte nulla. Sed & quaestionem hanc alia quaestione pensamus: Si est tam arctus inter jura de occidendis cum servis tum liberis nexus, qui acciderit, ut liberorum homicidia demum a Trajani temporibus cessaverint, servorum longo ante tempore, saltim sub Claudio & Nerone? Nec elabi patiemur illum, qui, Claudii Edictum de aegrotis, Petroniam legem de servis ad bestias datis egisse, Hadrianum tandem generali Constitutione vitae servorum consuluisse, tricabitur. Salvo Jure salvaque Jurisprudencia asserere non licet, dominum servum aegrotum, ne forte expositus convalescat, & liber fiat, necantem caedis crimine teneri: valentem nihilque tale meritum qui occiderit, caedis crimine non teneri. Lex Petronia fraudem legis de non occidendis servis coërcuisse, adeoque ipsam legem, licet illa hodie non extet, loqui videtur. Ad domini nequam vocem: *Ad bestias oppugnandas trado servum, non occido, quod novi lege vetari: Etiam hoc est occidere*, respondet Lex Petronia, *non tantum sua servum conficere manu*. Hadrianus generali Constitutione servos occidi vetuit, sed num hoc fecerit omnium primus? in quaestione est. Etiam Antoninus Pius (x) generali Constitutione jussit, *ne auxilium contra saevitiam vel famem vel intolerabilem injuriam denegeret iis, qui juste deprecantur*. An omnium primus? Non dixerimus. SENECA supra nobis fuit auctor, suo jam tempore positum esse judicem, adeoque latam legem, qui & *saevitiam*, quo verbo & Antoninus utitur, & *libidinem*, quam idem Imperator *intolerabilem injuriam* appellat, & *in praebendis ad victum necessariis avaritiam*, uno Antonini verbo, *famem*, qua servos macerabant, compescat. Ovum ovo non

(x) §. 2. *Instit. De his qui sunt sui vel alieni juris.*





non potest esse similis, quam haec Antonini & ista incerti Principis vel seculo antiquior constitutio. Et quis iudicem illum, Vrbi procul dubio Praefectum, servos de faevicia, libidine, fame conquerentes audivisse, querelas de servo absque causa trucidato sprevisse, serio asseret? Solent autem JCi nostri non omnia, sed novissima & cognitissima Jura allegare, ut magnum illud naufragium, cum Auctorum Veterum, tum maxime integrorum Juris librorum nunc taceamus. Sed superest veluti arx hujus controversiae L. 5. D. de L. Pompeja de Parricidiis, ubi MARCIANVS JCtus: Divus, inquit, Hadrianus fertur, cum in venatione filium suum quidam necaverat, qui novercam adulterabat, in insulam eum deportasse, quod latronis magis quam patris jure eum interfecit: nam patria potestas in pietate debet non atrocitate consistere. Hic: Vides, inquit BYNCKERSHOEKIUS, Adrianum punivisse patrem, filii interfectorem, quamvis justissima indignatione motum, & punivisse deportatione, quae ordinaria legis Corneliae de sicariis poena fuit, id autem tantum punitur, quod non licet, ut est apud Senecam Lib. X. Controv. 5. Ita est, etiam absque Rhetoris auctoritate; de eo quaeritur: quid hic non licuerit? Et tamen quod mireris hac lege nituntur, qui ad usque aetatem Constantini M. & ultra patribus indulgent liberorum caedes, NOODTIVM pungit, cui in hoc non assentimur; quamvis si quid ejus rei probet, nihil probare posset, quam de aetate Hadriani; quod existimamus & NOODTIO ita esse visum, quousque & eam restringit Jacobus Gothofredus ad L. 2. Cod. Theod. de liberali causa, ratus nihilominus sic satis inde probari, impunitam tunc fuisse liberorum caedem. Id putant obtineri posse eo argumento, quod ex contraria sententia elicitur, nam, inquirunt, non ea causa Adrianus patrem punivit, quod filium

occi-



occidisset, sed alia, quod nempe occidisset in venatione, sive, ut mox sequitur, quod latronis magis quam patris jure eum interfecit, utque ita salva res fuisset, si pater, non insidiatu filio, aperto Marte, jure, quod habebat, patris, eum fuisset aggressus. Hoc hactenus ita tenuimus, teneamus & hic. Sed aut ego fallor, aut omnes alii, sic Marcianum interpretantes, falluntur. Pater filium occidit in venatione. Onitur cardo rei: latronis magis quam patris jure. Queritur an jure? immo nullo jure. Neque enim recte occidit in jure. Hoc largimur. Sed forte recte occidit jure patris, ne hoc quidem: nam jus patris, quod ad potestatem occidendi, ea aetate jam decoxerat, sed hoc est illud ipsum, de quo quaerimus, atque adeo factum patris, filium occidentis, atrocitati tunc tributum est, quod adeo ipsum, collabente vel nondum firmato antecedente, precario asseritur. Ecce rationem ex ipsa Lege: nam patria potestas in pietate debet, non atrocitate consistere. Et hic latet fons erroneae interpretationis. Persuasit sibi BYNCKERSHOEKIUS verba de atrocitate loquentia esse Hadriani, qui tamen deportationis decretae rationem praefixa vocula illa causali quod satis exprefferat, cum potius sint AELII MARCIANI, quod ipsum nova vocula: nam, etiam causalis, sed continuationi inserviens, simul adversandi vim habens, mutatasque dicentium personas clare innuens ostendit, cum alias nuda copula, vel etiam repetita causalis: quod, duplicem conjunxissent rationem: quod latronis magis quam patris jure eum interfecit & quod patria potestas in pietate debet, non atrocitate consistere. Brevis illius litis coram Hadriano agitatae species haec est: Filium in venatione interfecisti, ad quae Pater: adulterabat novercam, & patris jure interfeci: at Imperator: Venationis illecebra e domo extra.

Q

tra.





tractum, in sylvas abductum, sceleris eum non arguens, ac si telum in feras missum aberrasset, trucidasti latronis jure, non patris filium interfecisti: deportandus es. His narratis MARCIANVS sua addidit, incertum, qua occasione, qua fini, num statim, num post alia interjecta, qua deploranda incertitudine pleraque venerandae nostrae antiquitatis fragmenta laborant. Pervenit ille JCeus vivendo usque ad Alexandri aetatem, ex cujus seculi moribus omnino verissimum erat, patriam potestatem non in atrocitate, ne in ulla quidem *ἀντοδμία*, debere consistere, sed in pietate, qua vel indulgebat pater filio, vel male facientem leviter castigabat, vel acriori remedio usus offerebat Praesidi, sententiam dicturo, quam pater pro sua pietate ipse quoque dici voluerit. *Atque inde esse opinor* ait porro BYNCKERSHOEKIVS (a patria potestate quoad eadem abrogata) *quod pater, qui sibi ipsi jus dixerat, qui injuriam sibi illatam non per legitimos tramites fuerat persecutus, sed filium forte in venatione, occiderat, latronis jure dicatur occidisse, illicitam enim ejus ἀντοδμίαν hoc nomine notatam putat.* Nos non putamus, omnemque *ἀντοδμίαν* posse appellari *latrocinium*, merito negamus. Fac patrem filium ἐπ' ἀντοπόσειω deprehensum necasse, aut in secretiore domus abductum, exposita causa, leto dedisse: foret dubio procul *ἀντοδμία*, neutiquam latro. Quare nec in eo audiemus BYNCKERSHOEKIVM: *illud in venatione non additum esse, nisi ex solo facto, quod jus non mutaverit.* Fac periculum, & illis verbis: *in venatione*, vel deletis vel omissis, cuicumque latinarum modo literarum perito trade legem, & de ratione sententiae latae mentem ejus exquire. Haerebit ille certo certius in voce: *latronis*, & patrem filium per insidias e latebris esse adortum hariolabitur. Mox restitue verba



verba ablata, & ille se rectissime coniecisse, immo omnes facti circumstantias se tenere, fatebitur. Est itaque inter venationem & latronis jus nexus intimus, nec forte, ut supra dicebat BYNCKERSHOEKIVS per emblemata, sed studio pater filium in venatione occidit. Non venatio, non locus mutant jus, sed insidiae, caprata loci commoditate, injecto venationis illicio, in nihil tale cogitantem structae efficiebant, ut Pater Hadriano patris & jus & personam posuisse, latronis personam & scelus sibi aprasse videretur. Si & domi aggressus esset filium per insidias, fuisset latro. Cur venationem domui suae praetulerit, nostra parum refert scire: BYNCKERSHOEKIVS putat, vxorem adulteram ita potuisse concitari. Nobis verius videtur, sylvam & venationem ideo fuisse electas, ut insidiae incauto & venationum cupido juveni struantur aptius, facinus tegatur facilius. *Transio*, inquit Noster, *ad Alexandrum Severum, sub quo principe plane peremptum fuisse illud jus vitae & necis palam affirmat ipse ille IACOBVS GODOFREDVS & ALPHONSVS A CARANZA. Nec puto dubitari posse si ipsum Alexandrum audiamus in L. 3. C. de Patr. Potest. Mem & nos putamus.*

VII. Haec omnia ita a nobis disputata sunt, ac si in sententiam tantum non omnium JCtorum, & maxime nostri BYNCKERSHOEKII descendissemus, Jus illud Vitae & necis in liberos fuisse meram *quod Porlav*, ut eo certius constet, eam, si unquam fuit, a Trajani usque temporibus neutriquam cessasse. Nunc licebit, & nostram de illo in liberos vitae necisque jure promere sententiam, & argumenta in contrariam allata, nempe, ut demonstretur, istud jus a Trajani temporibus cessasse, ad eam, veluti ad Lydium lapidem, examinare, eoque ipso efficere, ut constet,

Q 2

cum





cum dubia illa, jam remota, ea maxime doctrina remove-  
 ri fortius, & ipsam eadem opera mirifice confirmari. Est  
 autem sententia, quam tenemus alibique demonstratam de-  
 dimus, haec: „Romulum in ipsis initiis & Rei & Juris-  
 „prudentiae Romanae potestatem tanti momenti, Patrum  
 „in liberos vitae necisque jus, duabus ordinasse legibus, al-  
 „tera, licere Patri infantes trimo minores occidere aut ex-  
 „ponere, sed non nisi debiles & monstrosos, talesque a  
 „quinque Viris vicinis agnitos judicatosque: altera, Patri  
 „in liberos trimo majores intra regni domestici fines esse,  
 „uti magistratui & uni & summo, merum Imperium, ad  
 „leges etiam ipsis Patribus familias in civitate latas non al-  
 „ligatum, ut omnino liberum foret patri in filium, sed me-  
 „rentem, acrius, lenius, mitius, severius animadvertere,  
 „servatis tamen iis omnibus, sine quibus iudicium agi ne-  
 „quit, nisi facinus esset publicum, & de eo omnibus con-  
 „staret: legem de judiciaria Patrum potestate firmari ab  
 „omnibus, quotquot ex antiquitate supersunt, exercitae  
 „illius potestatis exemplis, simul haec exempla: merum Pa-  
 „tribus obtigisse *maius* jus, fortiter negare: gratis asse-  
 „ri: legem de licita infantium debiliu & monstrosorum  
 „nece per illam alteram de mero patrum in nocentes impe-  
 „rio esse sublatam: superfuisse eandem in XII. Ciceronem;  
 „suo tempore valuisse, Senecam aperitissime testari: Jus il-  
 „lud in debiles & monstrosos fraudi fuisse passim liberis  
 „nec debilibus nec monstrosis, morum in pejus ruentium  
 „vicio, parentum & immanitate & calliditate, maxime  
 „quod & exponere impune liceret, defuisseque infantilis  
 „sanguinis vindicem legem usque ad Valentiniani tempo-  
 „ra: Judicia adulterorum capitalia magis incurrisse in homi-  
 „num oculos, fuisse tamen frequentia sub Republica & Au-  
 „gusti



„gusti aevō, sub sequentibus Imperatoribus ob principatus  
 „reverentiam extitisse rariora, donec Alexandri Severi aeta-  
 „te constabat omnibus, id non amplius licere.„ Habes  
 summa nostrae opinionis capita: nunc videamus, an quae  
 BYNCKERSHOEKIVS urfit, eidem obsint. Haec ad duas  
 redeunt *ἀποδοχίας*, & ad exemplum Hadriani patrem filii  
 interfectorem in insulam deportantis. Prima consequen-  
 tia, si quis ea adversus nos nunc uti vellet, foret talis:  
*Trajanus filium, quem pater male contra pietatem afficiebat,*  
*coegit emancipare. E. Idem patrem domestico iudicio in fi-*  
*lium nocentem animadvertere vetuit.* Nemo non videt a  
 patre contra officium pietatis facientem ad patrem magistra-  
 tus domestici munus rite obeuntem; a filio praeter meri-  
 tum intolerabili injuria affectum ad filium criminis reum,  
 domesticaeque, forte leni, sententia coercendum, omnem  
 cessare consecutionem. Altera consequentia foret: *Ha-*  
*drianus servos occidi vetuit, per iudices etiam liberos dama-*  
*ri iussit.* Vides esse illationem a diversis ad diversa. *Ser-*  
*vos promiscue occidere dominis non licet. E. nec patribus*  
*nocentes liberos iudiciali sententia domi suae celebrata.* Quod  
 autem SPARTIANVS ait, Hadrianum iussisse, ut per ju-  
 dices damnentur, non eo pertinere videtur, ac si dominis  
 vetus illa & iusta, quam supra descripsimus, de crimini-  
 bus servorum cognitio fuerit adempta, sed & iudices & ma-  
 gistratus, ita volentibus, & iudicium capitis in domo per-  
 agere ex causa non una reformidantibus dominis, serviles  
 causas susceperent, & audirent, nocentesque damnarent.  
 Ut ita sentiamus, nos monuit eximius JCtus FRANCISCVS  
 CONNANVS (y) qui, nusquam, ait, prohiberi dominum  
 servum iusta de causa (addiderimus lubenter: adhibita ju-  
 dicii

Q 3

(y) *Commentar. Jur. Civ. Lib. II. C. 2. versus finem.*



dicii forma, aut in crimine manifesto, testibus convocatis) occidere, aut quo velit alio supplicio afficere, & hujus suae sententiae sane peridoneos testes excitat. Quos duos ab Hadriani aetate longius remotos, VLPIUM MARCELLUM, qui sub Divis Fratribus floruit, & in L. 96. D. de V. O. *Qui servum, inquit, mihi ex stipulatu debebat: si in facinore eum deprehenderit. impune eum occidit, nec utilis erit actio in eum instituenda, & VLPIANUM, qui in L. 53. §. 3. D. de Legat. I. Si heres, ait, hominem legatum occidit ob facinus, hoc est, merentem, sine dubio dicendum erit, eum ex testamento non teneri, immo ipsum ANTONINUM PIVM, Hadriani successorem, adeoque certissimum interpreterem, dum constituit, qui SINE CAUSA servum suum occiderit, non minus puniri, quam si alienum servum occiderit. Quid itaque vetat argumentum invertere, & in hunc modum concludere: Si constat, Hadrianum, licet servos occidere vetuerit, dominorum tamen justam veramque vitae & necis potestatem, non imminuisse, multo magis constat, Eundem Imperatorem quem, Patres filios occidere disertis verbis vetuisse, nullibi legimus, iisdem vitae necisque in liberos potestatem nullibi, omnium autem minime ista de servis non occidendis constitutione, alicujus ἀνολοῦστας vi, ademisse. Si haec sunt in liquido, ut esse remur, etiam de specie legis 5. D. de L. Pompeja de parricid. nihil amplius superest dubii. Filius adulterabat novercam. Pater saltem crimen habebat pro certo, & volebat ulcisci. Gemina erat ad vindictam via. Erat latronis jus, quo uteretur in venatione, per insidias, & latebris, filius nihil monitus ut ita tolleretur e medio: erat & patris jus, quo filium delatum, convictum, damnatum occidere poterat. Illud videbatur & certius & tutius. Imperator argue-*



arguebat sceleris. Pater, & nocentem fuisse filium, & fe patris jure esse usum, contendebat. Imperator deportandum censuit, quod latronis magis quam patris jure, quod neutiquam, ut vidimus, decoxerat, interfecerit. Certe ipse Imperator, dum latronis **MAGIS** quam patris jure interfecisse ait, ut illo reapse est usus, ita hoc uti potuisse, clarissime indicat. Fuisset alias in promptu Patri duplicatio: patris jure uti non licuit, fuit adeo necesse uti jure latronis in facinore manifesto. Ad haec Imperator triplicando regessisset: Ducendus itaque erat filius ad judices, atque ita ex nova ratione interfectorem filii damnasset, eo tamen ipso, replicatione sua se dixisse nihil, fuisset falsus. Sed & **MARCIVS** merito argueretur ineptiae, quod rationem ista tempestate nihil ad rem facientem narrafset, veram & qua Pater damnatus esset, reticisset. Verba ultima: *Nam patria potestas in pietate debet, non atrocitate, consistere*, supra **JCTO** **MARCIVANO** adscriptimus, nec adhuc hujus rei nos poenitet. Fac autem ista fuisse **HADRIANI**, & nihil nostrae sententiae oberunt. Ex ipsis Caesaris verbis constat: Patrem praeter delicti gravitatem & veritatem etiam patris jus allegasse: rejecit enim hanc exceptionem Augustus, & his ipsis verbis finalibus adhuc fortius rejecisset: Tu putas patriam potestatem in atrocitate consistere, ut per eam tibi liceat filium inauditum indefensumque latronis more perdere? In pietate illa consistere debet, ut tuarum partium fuerit, filium, etiam confessum vel convictum, tamen levissime condemnare, scilicet ut de **T. Ario** relatum legimus, qui in filio in parricidio, quod adulterio & incestu gravius est, deprehenso, suggerente Caesare Augusto in consilium assumpto, exilio contentus fuit, & exilio delicato, Massiliae, & annuis





annis praestitis, quanta praestare integro solebat. Atque ita tandem, velut cymba post longos errores in portum, & nos post multam disceptationem ad ALEXANDRI rescriptum, L. 3. C. de Patria Potestate accedimus, quae uti Patriam Potestatem, quoad vitae necisque potestatem judicariam finit, ita veram ejus naturam vel una omnium clarissime demonstrat. Si preces ab Artemidoro Imperatori oblatae ad nostram pervenissent aetatem, pro certo habemus, eas nostram controversiam plane confecturas. Licebit tamen earum substantiam ex ipso rescripto eruere in hunc modum: „Rogo te, Domine Imperator, legas haec patienter. Filium habeo pessimis moribus, commissatorem, scortatorem, aleatorem, ut graviora taceam, quae ei natura administrare videtur. Ut materiam peccandi haberet, res invasit, rapuit, vendidit, pecuniam inde redactam abligurivit. Castigavi aliquoties, nec mediocriter: ille, ad frugem se rediturum, negare, mihi etiam minari. Animus est, si in pari contumacia perseveraverit, acriori uti remedio, & in eum, more majorum, adhibito necessariorum consilio, animadvertere. Num id tu, Domine, permittendum an prohibendum putes, per sacrum tuum oraculum edoceri cupio.„ Ad has vel similes preces nunc ALEXANDER A. *Si filius tuus in potestate tua est* (id Artemidorus in precibus addere neglexerat, simul monetur, si forte filius e potestate jam exivisset, frustra quaeri de potestatis effectibus) *res acquisitas tibi* (si in potestate est, si tuas res vendidit, si in militia non acquisivit) *alienare non potuit.* (Ostenditur Artemidoro via, qua factae rerum jacturae possit mederi.) *Quem, si pietatem patri debitam non agnoscit, castigare jure patriae potestatis non prohiberis* (rata haben-



habentur haec gesta, simul his finibus patria potestas includitur) *acriori remedio usus, si in pari contumacia perseveravit* (licere & hoc innuit Imperator, sed non eo modo, quo volebat Artemidorus) *eumque Praesidi provinciae oblaturus*, (scilicet ut pater communi omnium hominum jure uteretur: sensit ALEXANDER, esse inter homines veteris juris patrii & memoriam & desiderium, se vero potestatem istam accidere, & capite veluti minuere, quod, ut boni principis est, emollire studuit verbis ultimis) *dicturo sententiam, quam tu quoque volueris*. Qui vero hoc? ut Praeses cognoscat, Pater decernat? (z) Minime vero, ut Praeses patri leniora flagitanti, salva republica, obsequatur, acriora cupientem in aequitatis viam reducat, patre renitente de omni illa causa ad Principem referat. Nunc si eos sequaris, qui patrium jus *naudo* fuisse contendunt, forma precum erat talis: „Domine Imperator. Filium habeo, quem amare desii. Hunc merentem, non merentem, more majorum occidere volo. „Haec res ne unquam mihi fraudi sit, tua indulgentia efficias rogo. „ Quid censes veritatis studiose lector? An putas, unquam tam impudentes literas potuisse porrigi? An credis ad eas similesve respondere potuisse Augustum

(z) Miratus sum ALEXANDRVM CHASSANAEM qui Imperatoris sui nominis Rescripta peculiaribus Commentariis illustrare est annis, non meliora p. 729. sq. tradere, & fere extra oleas vagari. AZO in sua Lectura in Codicem p. m. 662. ritum extorsit: Nota, inquit, mirabile, quia absurdum est, quod fe-

ratur sententia pro voluntate actoris. Sed hoc ideo est, quia non praesumitur, quod pater filio vellet amputare caput. Ita eadem lex est, & absurda, & mirabilis, & notabilis, adeoque recepta, forte tantum in iis patribus, qui filiis sui nolunt caput amputare.

R





tantis JCris suffultum: acriori remedio usus, eumque Praefidi provinciae oblaturus, dicturo sententiam, quam tu quoque dici volueris? Caedem spirat ejusmodi pater, non cognitionem aut sententiam cogitat, qualia in non merentem ne quidem cadere possunt. Castigationem merebatur animus tam saevus, si acriori remedio voluisset uti Imperator, non hanc indulgentiam, ut Praefidi provinciae sit in consilio. Habes nostra magnorum virorum opinionibus adversa. Integram existimamus perdurare iisdem & acuminis & doctrinae gloriam, etiam ubi sententiam minus probandam tuentur: modo & nobis, ab omni *κρυδοξίας* studio alienis, integrum sit, uni veritati litare.

VIII. Et hoc etiam dictum volumus illis, qui haec factis diligenter excussa, cogitata, scripta esse, forte agnoscent, ab omni tamen fori usu esse remota, serio conquirentur. Rem pulcherrimam esse veritatem, fatentur omnes. Hanc deperire, indagare, tueri, num uni JCto non licebit? Quis veritates nostras exquiret, si nos id non facimus? Indignabuntur forte, & convicium facient ejusmodi homini meliores. Nos querulum solabimur, & quae tractavimus, non extra omnem in rerum argumentis usum esse, ostendemus. Fac Patrem intelligere omnium primum, filium suum esse latronem, incendiarium, sacrilegum, & iusta ideo indignatione motum, quod filius a paterna virtute, a majorum gloria in tantum descivisset, offerre eum rerum capitalium judici. Hic delatum in vincula conjicit, causam instruit, cognitionem absolvit, ita, ut omnia ad supplicium spectare videantur. Pater nunc, postquam ira deferbuit, indulgentioris animi, & filii periculo, uxoris lacrymis, propinquorum questibus, vetularum injuriis expugnatus, adit judicem, & vel sua vel aliena sapientia far-



factus, Dices, inquit, o bone, sententiam, quam etiam ego voluero. Volo carcerem brevis temporis, aliquot annorum exsilium. Ita Alexander Severus in L. 3. C. de patria Potestate, & quod majoris ponderis videtur, ita etiam Brunnemannus ad Codicem. (aa) Quid tali, quaeso, facien-

R 2

(aa) Verba ejus sunt haec: *Potest etiam filium, immorigerum si se praebat parenti, v. g. Bona ejus alienando & dilapidando, puniendum offerre judici, ut is cogatur ex praescripto patris ferre sententiam, L. 3. h. t. quia nemo moderatius animadvertet, & nullus affectus vincit paternum. Sed tamen ex hac causa solet poena filio mitigari, si pater filium offerat, ne videatur cum ad supplicium obtulisse per L. 13. ff. ut. D. de Re Militari.* Multa sunt, quae hic desideres. Illa: v. g. bona ejus alienando & dilapidando, arripuit BRUNNEMANNVS ex ipso legis initio, negligens eorum, ob quae Artemidorus acriori remedio volebat uti; quod pietatem patri debitam non agnosceret, quod contumax esset, quod merus sit, ne in pari contumacia perseveret. Ipse BRUNNEMANNVS tandem ad supplicium delabitur. Quis autem unquam faciendo percepit, ob bona patris vendita & dilapidata ulla lege ultimum fuisse filio statutum supplicium.

Falsum est legem velle, ut judex cogatur ex praescripto patris ferre sententiam. Ita non Praeses diceret sententiam, sed Pater. At in lege est Praesidem dicturum sententiam, sed quam pater voluerit, eo consilio, ut si diversa essent sententia, rursus iretur ad principem idque ex ratione non una. Praeses mitissime pronunciat, ejusdem sententiae est pater, & res transacta est. Praeses est severior, pater mitior, ille non potest dicere sententiam, quam pater nolit. Res referenda ad principem. Sed Praeses mitior est, Pater Artemidoro vel Rhacoci propior acriora cupit, num & tunc judex cogitur sententiam ferre ex praescripto patris? Non opinor, ipsum BRUNNEMANNVM hoc fuisse affirmaturum. Sunt itaque & frivola illa: *nemo moderatius animadvertet*: ac si Alexandri fuerit mens, per Artemidorum fata filii fore mitiora, quem ex precibus cognoscebat intendere acriora: &: *nullus affectus vincit paternum*:



ciendum erit iudici? Haerebit ad legem, ut ad scopulum, nec ex ista ambiguitate evadet, nisi teneat ea, quae nos adstruximus: ALEXANDRUM, ut leniret emolliretque negatum Vitae Necisque Jus, ademtam domestici iudicii potestatem, morem majorum publica lege sublatum, haec ita constituisse. At quis majorum nostrorum istum morem tenuit? Quis patrum Germanicorum iudicii domestici potestatem unquam habuit? Quis nostrorum hominum potuit gloriari, vitae necisque jus in suos sibi fuisse vel esse liberos? Jam quis ejus rei apud Patres nostros quaeferit vestigium, quam eosdem ne primis quidem pedum digitis attingisse constet. Haec quae tu peris, Pater, vera erunt, quando vestigium absque plantae pressu positum mihi ostendes. Ita iudex ad Patrem, simul istius legis laqueis

num: quem frustra quaesieris in patre, qui eum ex justissimis causis tandem exiit. Denique vult BRUNNEMANNVS, ideo solere poenam mitigari, si pater filium offerat, ne videatur eum ad supplicium obtulisse. Verba Legis 13. D. de Jure Militari sunt haec: Desertorem, qui a patre suo fuerat oblati, in deteriolem militiam Divus Pius dari jussit, ne videatur, inquit, pater ad supplicium obtulisse: Nemo non videt, hic esse illationem a diversis ad diversa. Pater filium criminofum rerum capitalium iudici offert. Si severus est pater, & filium, qui ignes aut crucem meruerat, tamen assentiente Praeside securi ferendum putat, si

Princeps simile quid publicam disciplinam flagitare existimat, obtulit sane Pater & ad supplicium. Quis hoc non potuisse fieri dixerit? Quis legi paritum non fuisse contendet? At pater desertorem filium Tribuno suo offert: hic iusto severior capite puniendum decernit. Pater contendit se obtulisse, ut militet, non, ut pereat. Recte Divus Pius rescripsit, in deteriolem militiam esse dandum, ne pater ad supplicium obtulisse videatur, hoc est, ne per Tribuni sententiam aliis videri possit pater obtulisse filium supplicio, quem re vera obtulerat, ut in quocunque loco militaret.



queis expeditus sententiam crimini, actis, legibus conformem pronuntiabit, simul patrem admonebit, ut supplices ad principem fundat preces, forte, si humanior est, facta ad eundem relatione, haec & alia mitigandae sententiae idonea exponet: Princeps autem, ut religio, ut prudentia, ut aequitas suggeret, statuet, & nihil ALEXANDRI lege, nihil BRUNNEMANNI auctoritate motus vel latam sententiam iusta severitate confirmabit, vel ex suae potestatis plenitudine mitigabit. Nunc & sententiam ferre licet de cautela, ut nobis videtur non sat pulcra & eleganti, quamvis eandem bonus CAEPOLLA, oculiferii instar, inter suas primam esse voluerit. Filius supplicii metu ob gravissimum crimen lancinatur. Has sui cordis angustias Patri aperit. Hic iudicium metuens, non minus angitur. Adhibetur in consilium Bartholomaeus Juris callidus: Ille vero: O! salva res est! tu, Pater, e vestigio offer capitalium rerum iudici tuum filium. Ita efficies, ut ille dicturus sit sententiam, quam tu quoque voles. Voles autem ludicram. Ita Salicetus, ita Ray. de Forlivio, ita Paulus de Castro, qui & se ita consuluisse, & Imperatorem in filio Comitis Palatini, viso textu, iudicasse testatur. Si haec ultima fabula vera est, iste Imperator sine dubio se Alexandri Severi in Imperio successorem credidit. Cautela, inquit CAEPOLLA, est periculosa in crimine laesae majestatis: Nos in omni crimine periculosam, immo inanem dixerimus. Princeps, quem solum illa lege supra adstruximus, machinationem ex illa lege repertam multo magis negliget, filium, si alia non profunt, iustae poenae addicet, patri ignosceret, sat poeuae habituro in iudicii primi a se occupati conscientia.



PRAENOBILISSIME ATQVE DOCTISSIME  
SCHROEDERE.

*Ita tandem prorsum a nobis discedes, & longum & forte aeternum dices vale huic GEORGIAE AVGVSTAE, ad quam ante hos quinque annos e dulcissima patria, LVBECA, neutiquam inanis accessisti. E LVBECA, inquam, accessisti, illo Germaniae nostrae oculo, ex illa republica & rerum gestarum amplitudine, & commerciorum longe lateque factorum fama celebratissima, ubi adhuc non tantum mercaturae, sed & pietati, virtuti, literis est honos, ex illa ob eorum, qui incolunt, comitatem & humanitatem maxime commendabili urbe, & quam amares, etiamsi patria non esset. Ex hac, inquam, accessisti neutiquam inanis. Afferebas enim tecum bonarum literarum amorem incredibilem, doctrinarum, quae superiores artes ornare & juvare solent, copia insignem, addiscendi plura & graviora cupiditatem maximam, & quod in cive docto non est ponendum ultimo in loco, mores emendatos & virtutis studium, quo omnino factum est, ut omnibus bonis vixeris gratus & acceptus. Discessisti tandem a nobis ad alium celeberrimum literarum mercatum; sed & ex condicto ad nos*



es reversus, videlicet ut hinc ad Tuos digrediaris onustus cum undique conquisitis eruditionis, maxime legalis, thesauris, tum summis, quos alma Thernis merentibus solet rite conferre, honoribus. Fiet hoc propediem, neque ullus nostrum dubitat, fore, ut iste TVVS in Patriam reditus non tantum TIBI TVISQUE, sed ipsi quoque Reipublicae, ubi TE talem esse cognoverit, qualem futurum sperabat, TIBI olim in aliqua sui parte credendae, evadat lactifsimus.

Sic reor, & si quid veri mens atqurat, opto. Vale itaque, res Tuas gere ex sententia, amicos, quos ante decem & septem fere annos coram salutavi, meis verbis salvare jube, sed & ipse vive memor nostri, & save

## TVAE PRAENOBILISSIMAE DIGNITATIS

● B S E R V A N T I S S I M O

G E B A V E R O .

AMI-



AMICORVM CARISSIMO  
SCHROEDERO SVO

S. P. D.

D. CHR. FR. GEORG. MEISTER. P. I. E.

*Ego vero TIBI, non sine maximo dolore, quos jure tuo postulare poteras, honores in utroque iure summos gratulor, abitus TVI, iacturae mihi acerbissimae praenuncios. Quinquennium enim est fere, per quod fratrum quasi loco fuimus, eodem hospitio, eodem museo usi semper. Qua quidem coniunctione, nihil non modo commodius, verum etiam dulcius esse potuit. Habere enim amicum illaesa fidei perpetuum vitae socium, eundemque honestate atque morum suavitate ac elegantia ornatissimum, magnae felicitatis genus est. Jam, quae ad studia TVA pertinent, cum TV eorum quoque me quotidianum comitem, ducem etiam interdum TIBI existere voluisti; quantam ex TVO consortio percepi voluptatem! quanto inde cum dolore a TE divelli nunc, me oportet! Sed, poterit, spero, hic dolor, hoc TVI desiderium, crebris ac mutuis ex parte leniri epistolis. Equis est mortalium, cui plane secunda sint omnia? Solatii sane loco esse debet, meos cum tuis congruere sensus. Praesta igitur Te mihi, obsecro, absentem, qualem adhuc cognovi, amantem mei, & in amicitia constantem. Munus erit hoc omnium munerum carissimum, praestantissimum, quod ego, qui sum mei erga Te animi ipse mihi concius, quasi debitum expecto. Vale amice omnium suavissime. Scripsi Goettingae d. 25. Mart. 1751.*



Göttingen, Diss., 1750 G-2

ULB Halle

3


005 356 768



Vd 18











26

DE  
PATRIA P O T E S T A T E  
P O T E N T I S S I M O P R I N C I P E A C D O M I N O  
D O M I N O  
G E O R G I O I I .

M. BRITANN. FRANC. ET HIB. REGE  
DEFENSORE FIDEI  
S. R. I. ELECTORE ARCHITHESAVRARIO  
DVCE BRVNSVIC. ET LVNEBVRG.  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
IN GEORGIA AVGVSTA  
INCLVTI ORDINIS IVRIDICI AVCTORITATE

P R A E S I D E  
G E O R G I O C H R I S T I A N O  
G E B Ä V E R D .

REGI A CONSIL. IVSTIT. INT. ET ANTEC. PRIM.  
PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS RITE  
CONSEQVENDIS DISPVTABIT  
CHRISTOPH. GODOFREDVS SCHROEDER  
LV BECENSIS.

---

GO E T T I N G A E . A . D . I I I . A P R I L . c l o I o c c L I .

---

I E N A E  
L I T T E R I S M A R G G R A F I A N I S .

